939.8
St 8q

QUOMODO ET QUANDO
PANNONIA PROVINCIA ROMANA
FACTA SIT.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XI. MENS. DECEMBRIS AN. MDCCCLXXV HORA ½XI

PUBLICE DEFENDET

AEMILIUS STRASSBURGER,
ISLEBIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
R. WOLZENDORFF, DR. PHIL.
B. SCHWEN, DD. PHIL.

HALIS SAXONUM
TYPIS HEYNEMANNIANIS.

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS.

Jam labante republica Romana Pannoniae nomen in annalibus nobis traditur. Nunquam enim Romani, etsi saepius antea cum exercitibus totum Alpium circuitum invaserant, ita cum montium incolis debellaverant, ut illorum populorum victores nominari possent, nec unquam situm naturamque locorum plane perspexerant. Primus autem imperatorum, Augustus, gentibus Alpinis plurimis devictis etiam trans Alpes in Dalmatiam atque Pannoniam penetravit. Ac tam atrociter et acriter Augusto imperium tenente cum Dalmatis Pannoniisque pugnatum est, ut scriptor recentis aetatis [1]) comparari has pugnas posse affirmaverit cum Caesaris bello Gallico, nec minus hominum animos illas ad investigandum incitaturas fuisse quam Gallorum oppressionem, si commentarii, quos Octavianus de rebus a se gestis Cantabrico tenus bello nec ultra scripsit, aetatem tulissent. [2]) Sed ita quoque, qua vi et in quibus periculis versati Romani cum illis populis contenderint, dignum mihi esse videtur, quod latius tractetur et ordine narretur, praesertim cum nemo adhuc, quod sciam, ex Hoeckii temporibus, omisso Merivalio, cujus narratio plane ex illo dependeat, quamquam nova subsidia allata sunt, haec bella continua descripserit. [3])

Jam ex eo tempore, quo in Romanorum historiae enarratione fabulae cum rebus gestis commiscentur, primum illorum concursum cum populis ferocissimis atque saevissimis, qui in Alpium valle circumjacentibusque regionibus habitabant, factum esse nobis traditur, quibus ipsis proeliis constat, Romanos corroboratos confirmatosque Italiae principes ac paullo post totius orbis terrarum, qui dicitur. dominos esse factos. Initio quidem aegre Romani fines ab incursionibus Gallorum defendebant, dum proelio illo ad Telamonem

1) Luden, Geschichte des teutschen Volkes I, p. 163.

2) Suet. Aug. S5 „aliqua de vita sua" tredecim libris Cantäbrico tenus bello nec ultra exposuit, Tempus belli Cantrabrici idem Suetonius Aug. 20 indicat.

3) Hac dissertatione paene absoluta, programma Berolinense scholae, quae dicitur Sophien-Realschule, mihi in manus venit, quo extrema operis mei pars argute ab Abrahamo, magistro ejus scholae, est exposita.

p31736

facto Gallos ad internecionem redactos victores in eorum ipsorum terram persecuti proximis annis potissimum Cn. Scipione et M. Marcello ducibus imperio suo subjecerunt. Praeterea cum Veneti et Cenomani Romanorum socii fierent, Ligures autem continuis incursionibus vexarentur, imperium Romanum jam usque ad Alpes tum prolatum fuisse dici potest. Tamen in his regionibus tantum aberat, ut Galli jugum patienter ferrent, ut primam quamque rebellandi occasionem arriperent. Quod cum Romani haud ignorarent, quam celerrime fieri potuit, terram occupatam coloniis deducendis et viis sternendis ex consuetudine sua sibi devinciebant. Sed postquam bello Hannibalico perfecto Gallos Cisalpinos iterum bellum renovantes Romani superaverunt et, jam viginti fere annis ante occupata orae Illyricae parte, Macedoniam provinciarum numero adjecerunt, via, quae Italiam cum Macedonia conjungebat, paullatim latior atque tutior fiebat, ut Romanorum exercitus tum quidem contra Alpinos et Danubium accolentes populos non modo ex Italia, sed etiam ex Macedonia progredi possent.

Potissimum Romanorum intererat, ne Galli Transalpini iterum Alpes transgressi populos sibi consanguineos perturbarent. Itaque senatus, cum a. 186 a Ch. „Gallorum Transalpinorum tria milia sine populatione ac bello haud procul inde, ubi nunc Aquileja est, locum oppido condendo“ cepissent, in eorum patriam legatos misit, qui interrogarent, num ex auctoritate gentis illi essent profecti. Quod cum negatum esset, ex Italia illis pulsis, paullo post in ea regione, qua Alpes barbari transierant, Aquileja condita est.[1]) Insequenti tempore autem Romani cum Istris et Dalmatis conflixerunt atque Japydum nomen tum (a. 129) primum proditur, quos a Tuditano et Pandusa Tiberio subactos mox defecisse tradit Appianus.[2]) Hic quaerat quispiam, num recte Appianus addiderit eodem fere tempore Segestanos L. Cottae et Metello sese dedisse, quae res, cum ad Plinii Segestam vix pertinere possit, ad Segesticam Pannonicam referri debet.[3]) Ita vero explicari non potest, quo modo factum sit, ut Romani,

1) Horkel „Die Geschichtsschreiber der deutschen Urzeit, Bd. 1.: cum de duobus Gallorum agminibus loquitur, mihi errasse videtur. Etsi enim Livius duobus diversis locis de hoc agmine refert (39, c. 22 et c. 54), dubitari non potest, quin his locis de una eademque re ille cogitet.

2) Mommsen, Römische Geschichte II, 162 sq.: ex eo tempore semper Romanorum amicos fuisse Japydes affirmavit, cui sententiae repugnat Appianus. Neque ex ea re, quod Augustus secundum Dionem Japydes bello petiit, quia vectigalia non solvissent, id colligi potest.

3) De Plinii Segeste, cfr. p. 25.

etsi non omnes Japydes, sed eos tantum, qui intra Alpes habitabant, imperio suo subjecerant, usque ad Segesticam terram procederent. Dijudicare tamen hic non audeo, utrum haec narratio iisdem fortasse veterum annalistarum nugis ac Carnuntum a Livio ad annum 171 a. Ch. commemoratum adtribuenda[1]), an res certa sit, cum Appianus alio loco (Illy. 22) ad eam recurrere videatur.

Interea Romani, in altera quoque Alpium parte nonnullis victoriis patratis, provinciam Narbonensem stipendiariam sibi fecerant. Plurima proelia autem conserebant cum populis, qui Alpium summos montes tenebant, non ut opprimerent eos, sed ab incursionibus et devastationibus deterrerent. Praeterea exeunte seculo secundo Romanorum arma ad Danubium apparuerunt, et, quae res momenti majoris est, M. Aemilius Scaurus a. 115 a. Ch. inter oppida Tergestem et Aemonam per Alpes progressus cum Tauriscis foedus icit, quae Romanis causa erat, ut copias suas Cimbris opponerent. Illorum adventu magna in regionibus Alpinis et Transalpinis commutatio facta esse videtur, cujus rei paene nulla mentio ad nos venit. Paullo post autem, ut majore vi bellum contra populos Alpium juga incolentes gererent, Romani commoti sunt, postquam Gallis Cispadanis una cum Italis civitas data et Galliae Transpadanae oppida Gn. Pompejo Strabone consule administrante coloniae Latinae facta sunt. Sed priusquam Romani ipsi Alpes transgredi potuerunt, Mithridatica et civilia bella illarum gentium animos atque motus valde auxerunt, dum Caesar Galliam Transpadanam et Transalpinam Illyrico adjecto provincias accepit. Qui per octo annos Galliam totam in provinciae formam redegit et Nantuates, Veragros, Sedunos per legatum Serv. Galbam devincens omnes Alpium incolas terrebat. Hieme autem plerumque in Gallia Cisalpina versabatur, unde saepius in Illyricum quoque proficiscebatur,[2]) ut a populorum finitimorum impetu id tueretur. Tanta tamen barbarorum audacia erat, ut a. 52 aestate. Tergestinorum urbem repentino adventu opprimerent,[3]) atque Dalmatae eo superbiae processerunt, ut Liburnorum, qui sub Romanorum dicione erant, urbe Promona occupata, Caesaris legatos neglegentes ejus exercitum occiderent. Quod facinus ulcisci Caesar non poterat, quia

1) Hormayr, Wien, seine Ceschichte u. seine Denkwürdigkeiten I, p. 69.
2) Caes. b. G. I, 54, II, 35. V, 1. III, 7.
3) l. c. VIII, 24. Appianus, qui eandem rem mihi quidem videtur commemorare Illy. c. 18 init. narrat Japydes id fecisse additque illos tum Aquilejam quoque oppugnasse.

cum Pompejo manus jam conseruerat. Dalmatae autem Caesaris metu incitati castra Pompeji secuti sunt et post pugnam Pharsalicam multos Pompejanos fugientes receperunt. Cujus rei causa Caesar Gabinium cum tironum legionibus eo misit, qui neque provinciae facultatibus sublevabatur, cum partim exinanita, partim infidelis esset, et compluribus acceptis cladibus mortuus est.[1]) Adjuvante Vatinio deinde Qu. Cornificius, qui jam antea Caesaris quaestor pro praetore fuerat, Illyricum Pompejanis pulsis recepit Quibus rebus praeclare gestis Vatinius, provincia Cornificio reddita, ipse Brundisium se contulit. Vocatur autem semper his locis Illyricum provincia ita, ut non generalem sensum, sed proprium illum habere possit. Verisimile igitur est rebus adeo turbatis Caesarem jam Illyricum quasi provinciam tractasse et Cornificium primum seorsum Illyrico praefuisse. Nec, quod Caesaris „legatus" Cornificius vocatur, ille tempore, quo paene ex arbitrio ejus provinciae distribuebantur, impedire potuit, quin Illyrico praeficeretur. Huc accedit, quod Cicero ad fam. XIII, 77. P. Sulpicium has regiones post Cornificium quasi provinciam rexisse testatur. Vatinium autem a. 45 in Illyrico provincia fuisse ex Appiani Illy. c. 12 et Dion. Cass. 47, 21, ubi legimus: *ὅ τε Οὐατίνιος ἦρχε μὲν Ἰλλυριῶν τῶν πλησιοχώρων*, elucet et approbatur verbis a Cicerone in Philipp. 10, 5 prolatis, ubi Antonio ille obicit, quid cum Illyrico et P. Vatinii imperatoris exercitu ei fuerit.[2])

1) Cfr. de bello Alexandrino c. 42—47. Aliter Appianus Illy. c. 12, qui Gabinium omnibus copiis amissis terga vertisse fingit. Illyrios autem, postquam Caesar victor Romam rediisset, legatos misisse, qui impunitatem sibi peterent, qua praebita Caesare Vatinium Illyrico praeposuisset. Quibus ex causis Momsenius (corp. inscript. Lat. III, 1, 279) Vatinium primum fuisse Illyrici praefectum colligit.

2) Nunc autem, quoniam de Illyrici provinciae constitutione dicimus, addere mihi liceat, quid de ejus priore administratione viri doctissimi sentiant. Zumptius in commentationibus epigraphicis II, p. 220 sq. contendit Illyricum Romanorum armis non ita perdomitum fuisse, ut per se ipsam justam efficeret provinciam, sed cum finitima aliqua provincia in idem vel proconsulis vel propraetoris imperium esse conjunctum. neque ullam reperiri provinciam, quacum in idem jus coire potuerit praeter Macedoniam, potissimum cum illa pars Illyrici, quae jam bello Macedonico tertio confecto Romanis se subdidit, eodem tempore ac Macedonia in provinciae formam redacta esse videatur. Sed hujus rei testimonia afferre non potest, neque ea res, quod Scipio Nasica, postquam a. 155 consul Dalmatas vicit, in provinciam Macedoniam missus est, illius sententiam confirmat, praesertim cum nusquam nobis tradatur Illyricum cum Macedonia fuisse conjunctum. Kuhnius autem (Die städtische und bürgerliche Verfassung des röm. Reichs, p. 223) partem septentrionalem Illyrici dicit jam ante Caesarem cum Gallia, meridionalem autem cum Macedonia fuisse conjunctam. Sed cum ipse addat Philipp. X, 5 negare Ciceronem Dyrrhachium et Apolloniam Illyrici urbes, in Mace-

Jam antea Caesar in Gallia Transalpina et Transpadana versatus, Noricos eorumque regem ita sibi devinxerat, ut bello civili exorto adjuvarent illum equites a rege Norico missi circiter trecenti. [1]) Omnes fortasse Alpium incolas aut vi aut donis in Romanorum dicionem redacturus fuit, nisi praematura mors eum arripuisset, praesertim cum jam arma et pugnandi modum illarum gentium cognovisset. In animo enim habuit ex suscipienda contra Parthos expeditione redux Alpes plane imperio suo adicere. Haud ignorabat profligandos prius esse Italiae populos finitimos, quam longius latiusque imperium proferri posset. Id tamen ille effecit, ut per eam Alpium partem, quae Galliam attingit, via expedita et tuta Romanis fieret. Ac ne posteri unquam obliviscerentur, quid negotii sibi esset cum Alpinis gentibus, Galliae Transpadanae lege a. 49 lata civitatem dabat oppidisque municipiorum formam praebebat, qua re Romanorum mores vitaeque genus elegantius paullatim propagabatur. [2])

Novae turbae autem Caesare vivo his in regionibus extiterant, cum Boerebistes Getarum rex factus populos finitimos oppressisset et Bojos sub rege Critasiro atque Tauriscos caede paene delevisset. [3]) Nec cessabant barbarorum incur-

---

donum finibus esse, conjecturam suam probari non posse demonstrat. Verisimilia autem esse videntur, quae protulit Mommsenius corp. insc. III, 1, 279 affirmans Illyricum eodem modo atque Galliam Cisalpinam consulibus Italiam administrantibus parmisse usque ad Caesaris aetatem, quae sententia et ob alias causas valde placet, et quod saepius consules in has regiones ad bellam gerendum missi sunt. Tamen non ita Illyricum ut Galliam Cisalpinam consulibus subditnm fuisse puto, sed a senatu quasi terram minime copiosam (De bell. Alex. 42 et Strabo XII, 5. 10) imminentem autem Italiae propter propinquitatem et hominum ferocitatem suis legibus obtemperans consulibus ex Italia semper custodiendum traditum esse. Ac ne fines quidem hujus terrae definiti fuisse videntur, sed continuo aliis gentibus adjectis prolati sunt.

1) Cfr. Caes. bell. civ. I, 18.

2) Jam an. 66 Caesar oppida Galliae Transpadanae de civitate petenda agitantia adierat eaque concierat, et ex provincia decedens, totius Italiae dominus factus Transpadanorum oppidis civitatem dedisse videtur, sed ita, ut eorum terra ex provinciae ratione regeretur, quia plurimae ad id tempus gentes barbarae ibi versabantur. Itaque, etsi jam Antonio Galliam Transpadanam provinciam sibi poscente metu commoti senatores nonnulli de Gallia Cisalpina plane cum Italia conjungenda cogitabant, non ante bellum Philippense confectum Gallia Transpadana Italiae finibus adjecta est (App. b. c. V, 3 et Dio 48, 12).

3) Strabo VII, 3, 11. *Βοΐους δὲ καὶ ἄρδην ἠφάνισε τοὺς ὑπὸ Κριτασίρῳ καὶ Ταυρίσκους.* Quomodo Zeussius (Die Deutschen und die Nachbarstämme p. 240) commoveri potuerit, ut Critasirum Noricorum regem nominaret, cujus imperio etiam Boji subjuncti fuissent, intellegi non potest. Collato enim hoc loco cum VII. 5, 2 efficitur, ut Critasirus rex Bojorum Tauriscis quoque imperaverit.

siones potissimum ex montibus supra Macedoniam jacentibus. Quietem igitur Itali habere non potuerunt, priusquam illos ad internecionem redegissent, certumque limitem Italiae septentrionem versus constituissent. Quod negotium a patre relictum optime perfecit Octavianus, qui iter per Alpes Julias fecit omnesque populos Alpinos subegit et compluribus provinciis in his regionibus constitutis Italiam tuebatur[1]).

De Octaviani ejusque tempore contra populos Alpinos, potissimum contra Pannonios Dalmatasque expeditionibus usque ad annum 6 p. Ch. factis.

Caesarem interfectum esse nuntio vix accepto „nondum assuetae frenis servitutis tumidae gentium inflataeque cervices ab imposito nuper jugo resiliebant". Romani autem iterum in bellis civilibus occupati eorum depopulationes prohibere non potuerunt. Quin eo impudentiae processerunt Salassi, ut D. Brutum Galliae Cisalpinae praefectum, qui eorum incursiones ab Italia arcere studuerat, fugientem ubique retardarent neque illum per suas regiones nisi pecunia multa data proficisci paterentur. Quae res aperte demonstraverat maxime opus esse, ut viae ex Italia et in Galliam Hispaniamque et in Macedoniam ferentes tandem aliquando tutae redderentur et populi Italiae instantes domarentur. Itaque Antonius haud ignorans, qui Galliam Cisalpinam occupatam teneret, eum totius Italiae dominum esse, jam antea illam provinciam sibi depoposcerat ac triumviratu constituto accepit. Sed cum, Cassii et Bruti copiis ad Philippos caesis, Galliae Transpadanae auctore maxime Octaviano Italiae leges datae essent, ab ea provincia ille destitit, praesertim quod Cleopatrae dolis obstrictus imperium jam neglegebat. Fratrem ejus autem Dio narrat expeditionem in Alpes suscepisse atque, etsi nihil perfecisset, triumphum egisse[2]). Discordiis deinde inter triumviros per eundem L. Antonium adjutrice Fulvia concitatis et orto tumultu composito, M. Antonius cum Octaviano victore denuo foedus icit, quo ipse Asiam omnesque regiones, quae

---

1) Sextus Rufus Breviarium de victoriis et provinciis c. 7: „Sub Julio et Octaviano Caesaribus per Alpes Julias iter factum est", recte Julio Caesari partem hujus gloriae attribuit, qui omnia ad rem feliciter gerendam praeparaverat. Ad Sexti hunc locum adnotat Schoenleben „Carnioliae Annalium" l. II, p. 122 iter facere significare dominium assequi. Cfr. praeterea Momm. Res gestae divi Augusti p. 5, 12 et 13.

2) Idem tradunt Acta triumphalia Capitolina: „L. Antonius M. f. M. n. cos. ex Alpibus Cal. Januariis."

trans Scodram, Illyrici urbem, sunt, Octavianus, quae cis Scodram jacent, accepit, Lepidus autem Africam retinuit. Qua re Octaviano, etsi Italia ipsa ei non concedebatur, imperium Italiae datum est. Loca enim tenebat, quibus milites sibi exercitatissimos reddere poterat, et per quas jam Caesar exercitum duxerat, ut Italiam totumque orbem terrarum sibi subiceret. Quam facultatem sibi oblatam Octavianus haud neglegebat, sed quam celerrime, ut Alpinas gentes rebellantes [1]) opprimeret, profectus est. Causam autem belli redintegrandi ei praebuit, quod arma inter triumviros et Dec. Brutum reliquosque duces maxime in Gallia Cisalpina collata Alpium incolas valde turbaverant et spem facile jugum decutiendi vel praedandi iis injecerant. Jam per multos igitur annos populi nonnulli pecuniam Romanis debitam et promissam non solverant et impunitate atrociores facti jam proximas sibi regiones omni modo vexare incipiebant. Sed priusquam Octavianus ipse contra illos exercitum ducere potuit, a. 39 in Illyrico Partheni vel Parthini rebellabant, quos Asinius Pollio proeliis devicit et gregibus, armis, agris multavit [2]). Cujus rei causa triumphum ei concessum Horatius gloriose praedicat, cum canit carm. II, 1:

„Et consulenti Pollio curiae.
Cui laurus aeternos honores
Delmatico peperit triumpho."

Saevior autem seditio in Italiae septentrionali parte et regionibus adjacentibus quatuor annis post orta est, dum Octavianus, Sexto Pompejo jam interfecto Lepidoque imperio exuto, ad Africae res ordinandas et constituendas ex Sicilia exercitum in illam provinciam transicere parat. Quem cum hiems in Sicilia retinuisset, nuntius subito allatus Salassos, Tauriscos Liburnos, qui jam diu tributa non solvissent et interdum vicinos infestassent, palam a Romanis defecisse, commovit, ut Africa neglecta in Illyricum contenderet. Hanc Dionis narrationem emendat Appianus, qui Augustum non ob aliam cau-

---

1) Rebelliones enim vocabant Romani has turbas, quamquam nullus hujus regionis populus plane in eorum potestatem redactus erat. Promissam enim pecuniam, cum Romanorum exercitus appropinquabant, raro persolvebant aut persolutam paullo, postquam hostes recesserant, devastatis finitimis regionibus maxima cum crudelitate sibi repetebant. Cfr. Strabo IV, 6, 8.

2) Dio 48, 28 et Florus II, 25. Parthinos praeterea nominant Plin. h. n. III, 23 et Caesar b. c. III, 11, 41, 42. Recensentur autem inter populos prope Epidamnum habitantes. Triumphum Asinii proconsulis ex Parthineis in Actis Triumphalibus Capitolinis reperimus a. d. VIII. Cal. Nov. actum esse.

sam illos populos bello petiisse nobis tradidit, nisi quod Italiae imminerent et jam saepius eam antea turbassent. Addit autem Appianus praeter populos a Dione commemoratos alios quoque ab Augusto tum profligatos et, ut tributum se esse daturos promitterent, coactos esse. Quibus omnibus devictis Augustum ad Japydes intra Alpes incolentes accessisse ille pergit, quorum e numero Moentini et Avendeati ejus impetum non expectassent, sed ultro ejus exercitum aggressi clade accepta essent dispersi. Aurupini autem[1]) cum audissent Octavianum appropinquare, urbe, in quam ex vicis multitudo hominum se receperat, relicta, silvas petebant. Urbem occupatam autem ille intactam reliquit incolas sperans redituros et imperio suo se esse subjecturos, cum cognovissent, urbi se pepercisse. Quam expectationem res non fefellit. Hactenus Appianus, neque alius auctor nobis ita accurate de his expeditionibus ut ille exposuit. Negari autem non potest Dionem has res negligentius tractasse, praesertim cum, etsi haud ignorabat contra alios quosdam quoque populos expeditiones esse susceptas, nihil de his retulerit nisi contra eos Augustum alios duces misisse et ex Japydico bello Metuli tantum expugnationem accurate narraverit. Itaque Appiano concedendum esse puto Augustum hanc ob causam maxime bellum illis gentibus intulisse, quod Italis molestae fierent. Huc accedit, quod Vellejus Paterculus (II, 78) Caesarem „per haec tempora ne res disciplinae inimicissima, otium, corrumperet militem, crebris in Illyrico Dalmatiaque[2]) expeditionibus patientia periculorum bellique experientia exercitum durasse dicit. Quae verba optime illustrant turbas[3]), quas Dio scribit a militibus esse concitatas, cum nuntiatum esset contra populos Alpinos iter parari. Missis nunc aliis populis, quorum nomina Appianus profert, de Japydibus tum subactis paullo diligeutius inquiramus, quippe cum Pannoniis finitimi essent, et eorum clades Augustum moveret, ut illos quoque aggrederetur.

Incolebant Japydes regiones Ocrae monti et Carnorum genti adjacentes in utrisque jugis Albii, qui mons paene in extremis Alpibus situs altitudine sua praestabat[4]). A septen-

---

1) Arupium enumerat Strabo inter Japydiae capita; Moentini autem incolas urbis Monetii, quam Strabo eodem loco commemorat, significare videntur.

2) De orthographia hujus verbi cfr. Momm. in. L. III, 1.

3) Eaudem seditionem commemorat Livius epitome 131.

4) Strabo VII, 5, 4. Cujus descriptione efficitur, ut eas regiones Japydes tenuisse putemus, quae nunc dicuntur „Krainer Kalkplateau". Nomen

trione cum Istris Carnisque conjunguntur et usque ad flumen Tedanium meridiem versus patent [1]). Eorum per terram unum fluvium perfluentem commemorat Strabo, Colapin, quem cum Noaro sibi ficto confluentem facit. Natione autem erant Japydes vel Illyrica vel Celtica vel potius ex duabus mixta, ideoque arma eorum erant Celtica, corpora autem aeque atque Illyriorum puncta [2]). Agri tam paucas fruges iis protulerunt, ut farre et milio grano vitam vix sustentarent atque in vicis miserrimis sedes suas haberent. Noli autem negare oppida fuisse Japydibus, cum paullo post in Japydum terra urbes vallo muroque circumdatae et curia ornatae apud Appianum commemorentur et apud Strabonem quatuor urbium nomina nobis tradita sint. Tamen maxima cum virtute pro patria pugnabant neque ad id tempus a Romanis plane subigi potuerant, quamvis eorum partem, quae intra Alpes — i. e. citra Albium montem — et mare Adriaticum [3]) versabatur, saepissime jam illi adorti essent. Nusquam autem nobis traditur Japydes Albium montem ipsum incolentes et ad Pannoniorum fines pertinentes antea a Romanis bello esse petitos [4]). Etsi artum inter singulos Japydiae populos concordiae vinculum non fuisse elucet, Plinius tamen nobis narrat et Japydes et Liburnorum civitates XIV conventum Scardonae habuisse, cujus de institutione et actione etsi nihil certi scimus, tamen verisimile videtur esse illum ad religionem tantum cultumque pertinuisse et fortasse post bella Japydum cum Romanis perfecta institutum vel renovatum hac conditione esse, ut nihil tractaret nisi res sacras omnibus communes.

Postquam hujus nationis partem intra Alpes sitam Augustus iterum, ut jam vidimus, subegit, in alteram transgressus est. Itinerum autum difficultates et iniquitates auxerunt Japydes arboribus caesis et per vias dispersis, cum ipsi in sil-

---

habere hunc populum a Japhete Schönleben Carniolia antiqua p. 182 sibi persuasit.

1) Plin. III, 23 et Ptolemaeus II, 15 collato Plin. III, 25 flumine Tedanio fineri Japydiam declarant.

2) Quam ob causam Strabo VII, 5, 4 *κατασττίκτοι* nomen iis indidit. Cfr. Strabo IV, 6, 10.

3) Pertinebant enim usque ad mare, quod Strabo VII, 5, 4 affirmat, etsi Plinius III, 25 dicit Arsiae, qui fluvius Italiae fines significet, jungi gentem Liburnorum et id. III, 23, cum ipse aliter sentiat, addit nonnullos in Flanaticum sinum Japydiam promovere. Neque Dionis verba (49, 35) huic sententiae opposita esse censeo, cum ita explicem: „quae non longe a mari in continentem pertinebant."

4) De Japydia cfr. praeterea Servium ad Virg. Georg. III, 475 et Sallustium II, p. 125 ed. Dietsch.

vis laterent, ut exercitum Romanum ex improviso adorirentur. Quod cum Augustus perspexisset, praemisit quosdam in montes proximos, qui ipsum in vallibus progredientem et per silvas viam sibi sternentem adjuvarent et hostes appropinquantes arcerent. Quo factum est, ut Japydes ex insidiis erumpentes undique interclusi magna clade accepta in silvas iterum se reciperent atque urbem proximam Terponum Augusto a defensoribus vacuam traderent. Quam cum Augustus aeque atque Arupium integram esse jussisset, incolae clementia ejus confisi redierunt et victori se subjecerunt. Deinde Augustus ad urbem Metulum accessit, quam et Appianus et Dio primariam illius regionis fuisse urbem consentiunt. Natura autem illam jam munitissimam — sita enim erat in duobus silvosis collibus, qui angusta valle dirimebantur — muris altissimis oppidani sepserant magnamque hominum copiam eo contraxerant. Diu igitur Romanorum oppugnationes illi sustinebant, dum vallo oppidum cingebatur. Quod opus Metulenses nocturnis et diurnis excursionibus impediebant et multas Romanis clades afferebant. Ac ne tum quidem, cum moenia collabi coepta sunt, animos illi demittebant, sed celeriter novis exstructis relinquebant priora, quibus combustis Romani maximis machinis urbem expugnare studebant. Duobus enim aggeribus comportatis quatuor turres ambulatorias aedificaverunt, ut pontes earum in muros conicerent. Quae res ut subito eventu turbaret oppugnatos, manum misit Octavianus, quae ex parte adversa urbem aggrederetur, dum ipse e turribus muro admotis cum hostibus confligeret. Metulenses autem nequaquam perterriti Romanis succedentibus fortiter restiterunt et longis contis usi, ut tres pontes conciderent, mox effecerunt. Qua re Romani tam graviter affecti sunt, ut nemo eorum auderet quartum pontem conscendere, dum Augustus ipse ex turris summa parte, ubi proelii eventum conspexerat, accurens milites objurgio hortabatur et scuto arrepto pontem intrabat. Deinde omnes milites, ne imperatorem deseruisse viderentur, atroci impetu eum sunt secuti. Multitudine autem hominum pons ruptus multis vulnera dedit atque imperator ipse non modo dextro femore sed etiam ambobus lacertis vulneratus est[1]). Tamen, ne milites de salute

1) Vulnus ibi accepisse Augustum et Appianus et Dio scribunt, etsi Dio non ponte rupto illum laesum esse, sed minime accurate, cum murum hostium ascendere conatus esset, tradit. Eodem fere modo atque Appianus Plin. VII, 46, ubi de Augusti morbis disserit, eum in Pannonicis bellis „ruina e turri“ esse vulneratum testatur. Atque plane consentit cum Appiano Sueton. Aug. 20 „altera acie et crus et utrumque brachium ruina pontis consauciatus“, etsi

sua desperarent, illico turrim ascendit imperator iisque se vivum ostendit, atque, ne obsessi fore, ut his cladibus acceptis oppugnatione decederet, putarent, illico reparari turres novisque pontibus ornari jussit. Cujus pertinacia commoti, praesertim cum audissent auxilia ab illo esse arcessitos, die insequenti Metulenses legatos de pace concilianda ad eum miserunt, quam quinquaginta obsidibus datis praesidioque in urbem recepto impetraverunt. Sed cum milites praesidio in colle superiore constituti a Metulensibus, qui in alterum collem se receperant, arma telaque postularent, illi irati cum Romanis iterum congressi sunt, postquam feminas et liberos in curiam incluserunt iisque custodes, qui, si quid sibi accideret, curiam incenderet, imposuerunt.[1]) Facile autem barbari vincebantur, cum Romani locis superioribus essent illosque vi opprimerent. Itaque curia incensa omnes Metulenses perierunt totaque urbs igne est deleta. Metulensibus oppressis reliqui quoque Japydes Romanis se dediderunt. Quo factum est, ut tum primum omnes Japydes Romanis parerent[2]). Poseni autem, qui paullo post Augusto absente reballabant, a M. Helvio partim interficiendo partim vendendo, reliquis eos non adjuvantibus, plane deleti sunt.

His subactis bellum Augustus Pannoniis intulit, qui populus usque ad illud tempus vix nomine notus fuerat Romanis. Gens Illyrica autem erant Pannonii, quos confundit et Appianus et Strabo cum alia gente, quae supra Graeciam habitabat Paeonesque sunt vocati[3]). Nihil enim his commune erat nec cogitari potest Pannonios esse Paeonum partem, quae a meridie in illas regiones septentrionales profecta sit. Plurimas enim et ferocissimas gentes in hoc itinere perrumpere debebant, et quae causa inveniatur, cur sedibus suis amoenioribus relictis regiones frigidiores petierint? Huc accedit, quod migratio populorum omnium, qui ibi versabantur, ad

---

non recte affirmat alterum hoc esse vulnus, quod Augustus bello Delmatico acceperit. Denique Florus II, 23 Appiani sententiam probat. Quod ille adjecit „Augustum cunctanti ad ascensum militi scutum de manu rapuisse et aquis et hoste turbantibus“ apud alios non invenitur et in Flori auctoritate hujus rei rationem esse habendam nego. Omnino Florus hoc bellum non contra Japydes, sed contra Illyrios universos gestum esse censet.

1) Aliter Dio, qui, ut barbaros jure ab Augusto punitos esse demonstret, eos foedus illud icisse et praesidium in urbem recepisse narrat eo consilio, ut Romanos improvisos adorirentur. Hanc ob causam pugnatum esse noctu addit.

2) Etsi nihil certi nobis traditur, verisimile tamen est Japydum terram Illyrico provinciae esse additam.

3) De origine Pannoniorum praeclare disserit Zeussius l. c. p. 254 sq.

meridiem aut ad orientem spectabat. Qui fieri poterat, ut contrarium iter haberent Paeones? Neque ulla linguae similitudo illarum gentium est, immo Paeonica plurima verba Graecis simillima habet, a quibus abhorret maxime Pannonica[1]). Itaque jure suo jam Dio Cassius rejecit nomen Paeonum, et nomine Pannoniorum, quo ipsi se et Romani eos vocabant, a Paeonibus illos secrevit. Tamen rationem etymologicam, quam in explicando illo verbo Dio sequitur, probare non possumus. Quamquam enim Pannonios ipsos se illo nomine significare ait, tamen illud ex Romanorum lingua explicat et propter vestimenta ex pannis conserta eos ita apellatos esse affirmat[2]).

Majorem difficultatem jam nobis praebet finium Pannoniae definitio, etsi, quam rem Mommsenius in disceptationem quaestionemque vocavit, quando provinciae Pannoniae fines ad Danubii ripas sint prolati, neglegimus, cum infra fusius de hac re nobis dicendum sit. Omisso nunc Appiano quoque, qui ex nominum Paeonum et Pannoniorum confusione Paeonas censet ab Istro pertinuisse secundum Japydum terram usque ad Dardanos, Strabo VII, 5, 2 Pannonios septentrionem versus et orientem usque ad Segesticam et Istrum, in ceteras autem regiones latius patere demonstrat. Idem (VII, 5, 10) Pannoniorum montes saltusque Dalmatia et Ardiaea[3]) meridiem versus, a septentrione Istro, ab oriente Scordiscorum terra finiri contendit. Ibi sequitur in Strabonis textu lacuna, qua reliquae partis finium determinatio nobis periit. Quibus ex locis colligi potest Pannoniam ex Strabonis sententia non trans Segesticam vel Scordiscorum sedes pertinuisse. Sed jam amplius infra videbimus, quanta in Strabonis illarum regionum cognitione fides poni possit. Optimam Pannoniae descriptionem Dio mihi videtur dedisse atque eo ma-

1) Ersch u. Gruber s. v. Pannonia. Quod Tacitus Germania c. 3 refert monumenta et tumulos quosdam Graecis literis inscriptos in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc extare, fortasse ex itinere mercatorio illo, quod per has regiones ad mare Suebicum ducebat, explicari potest.

2) Alias etymologias vide apud Otrocoksi, origines Hungaricae II, 11, 3, qui Pannonios denominari nobis demonstrat a Paeone, Deucalionis ex filia Protogenia pronepote et nomen eorum ejusdem originis esse atque Panem. Bonfinius autem in chronica Ungarica p. 20, l. 16. Appiani sententiam tuetur ejusque genealogicam tabellam, et Paeonas a Paeone, Autari filio, quem Pannona nonnulli dixerint, derivat. Itaque Pannoniam et Paeoniam eandem terram esse pergit, quam Latini Pannoniam, Paeoniam dicant Graeci. Praeterea etiam de hac re Harenbergius in Miscell. Lips. Nov. Vol. IX. p. 629, qui cum verbo Celtico „ban“ i. e. „oblonga fascia“ nomen illorum cohaerere judicat.

3) Ardiaei populus Illyrici circa Naronem erat, qui jam ante hoc tempus perierat. Cfr. Strabo VII, 5, 6.

jorem fidem ejus verba habent, cum ipse his regionibus praefuerit et diligenter hujus provinciae res examinaverit[1]). Affirmat autem Pannoniam Dalmatia et Istro usque ad Mysiam Europaeam i. e. Moesiam esse circumdatam. Quam ob causam ne audiri quidem potest Florus, cum tradit (II, 25) Pannonios duobus acribus fluviis Dravo Savoque vallari. Probatur autem Dionis sententia verbis, quae apud Plinium (III, 28) extant „Ad Septentriones Pannonia vergit, finitur inde Danubio". Amnes claros et navigabiles in Danubium defluere Dravum et Savum deinde addit Plinius; et Sirmium aeque ac Taurinum in Pannoniae finibus collocat Moesiamque provinciam Pannoniae jungi dicit. Neque aliud profert Ptolemaeus (II, 13 et 14), qui Pannoniae fines Danubii illo flexu, ubi Savum recipit, significari narrat. Profecto igitur Danubius septentrionem et orientem versus finis Pannoniae est. Nunc autem quaeritur, ad quas regiones in ceteris partibus illa patuerit.

Ptolemaeum si sequimur, finitur Pannonia meridiem versus linea, quae a Danubii flexu per montes Bebios, Albium, Ocram usque ad Noricum vergens ita fingitur, ut Istria et Illyricum finitima ibi Pannoniae terrae sint. Consentiunt in hac re fere cum Ptolemaeo Dio et Strabo, qui Pannoniam usque ad Dalmatiam pertinere dicunt. Per quas regiones autem fines inter Noricum et Pannoniam in meridionali parte sint constituti, percognoscere difficile est. Recte mihi quidem Mommsenius censuisse in inscript. III, 1, 489 videtur Emonam, quae nunc Laibach diceretur, non ante Ptolemaei aetatem cum Italia fuisse conjunctam, ac probo ejus conjecturam, emendantis hunc Ptolemaei locum: „*μεταξὺ δὲ Ἰταλίας ὑπὸ τὸ Νωρικὸν Παννονίας πάλιν Ἡμῶνα*" ex verbis simillimis, quae extant II, 13, 4: „*μεταξὺ δὲ Ἰταλίας καὶ Νωρικοῦ, Ἰοίλιον Κάρνικον*" ita, ut scribatur: „*μεταξὺ δὲ Ἰταλίας ὑπὸ τὸ Νωρικὸν καὶ Παννονίας Ἰουλία Ἡμῶνα*", quibus verbis ita emendatis Ptolemaeus jam sua aetate ostendit dubium fuisse, cuinam terrae illa urbs esset adnumeranda. Sed quod idem Mommsenius Nauportum jam Augusto vivo Italiae finibus comprehensum fuisse putat, mihi non placet, neque aliam nisi conjecturae vim id obtinet. Nam, etsi optime hujus oppidi locum ad Oberlaibach fuisse constituit et flumen illud praeterfluens contra Plinium, qui sive errore sive abusu oppidi nomen pro fluvio substituit, Laibach flumen esse interpretatus est, tamen Velleji verba: „Italiam junctam sibi Nau-

1) Dio 49, 36.

porti ac Tergestis confinio“ recte eum explicasse nego, cum „confinium“ nihil significare mihi videatur, nisi „in terra, quae inter illas urbes sita erat, fines Italiae et Pannoniae fuisse“. Etsi autem fieri potuit, ut imperatores, cum opus erat, ex alia in aliam provinciam legiones mitterent, tamen vix manipulos quosdam ob itinera et pontes et alios usus illo tempore in aliam provinciam missos esse puto. Neque intellego, qua re commotus Mommsenius contenderit excusare potius videri Tacitum militum Pannonicorum extra provinciam missionem[1]). Quibus si addas Strabonem hujus commutationis nullam mentionem fecisse, sed potius VII, 5, 2 Nauportum Tauriscorum coloniam vocare[2]), Nauportum, si non post Emonam, cui sententiae repugnat locorum conditio, at certe paullo ante aut fortasse simul cum ea Italiae finibus attributum esse concedes. Celeiam autem Norici finibus jam prius comprehensam fuisse et Plinius et Ptolemaeus testantur idemque confirmant tituli, quos attulit Mommsenius inscript III, 2 p. 631 sq. Poetovionem denique, quam Zeussius dicit Noricorum urbem fuisse, ex inscriptionibus, Tacito, Ptolemaeo elucet fuisse Pannoniorum neque ante quartum seculum cum Norico esse conjunctam. Fines autem inter has urbes regere difficillimum est, neque id unquam certo discerni poterit, nisi aliae inscriptiones ad hanc quaestionem pertinentes invenientur[3]). Eosdem fere terminos ostendit Ptolemaeus II, 13, cum dicit occidentem versus Noricum a Pannonia secerni monte Caravanca, supra Caravancam autem monte Cetio, quem omnes consentiunt nunc vocari saltum Vindobonensem.

Jam de Pannoniae natura pauca dicemus. Herodianum si audimus, Pannonia nebulosa semper et frigida erat neque aquam nisi congelatam et effossam praebebat. Herodiani autem ipsius haec sententia non est, sed eorum, qui Commodum commovere volebant, ut Istri ripis relictis Romani

---

1) Cfr. Tacit. Annales I, 20.

2) Ex hoc Strabonis loco alter mihi videtur posse explicari, ubi legimus: „per illa flumina merces devehuntur ad Segesticam et ad Pannonios et ad Tauriscos.“ Non enim demonstratur his verbis conjunctis cum Appiano (Illy. c. 16) inter Illyricas quasdam gentes commemorante Tauriscos, fuisse alios quoque Tauriscos inter Pannoniae populos vel omnino in Illyrico atque eos ab illis Tauriscis, qui postea Norici sunt nominati (cfr. Plin. III, 24 et Zeuss. l. c. p. 239), esse secernendos. Appianus enim etiam Carnos illo loco addit populis Illyricis, Strabonis autem verba ita explicanda esse censeo, ut per illa flumina etiam ad Tauriscos merces deportari dicat, quia ab Aquileja ad Nauportum devehuntur, quod ex ejus sententia Tauriscorum colonia est.

3) Quantum in hac re adipisci possumus, tantum Mommsenius in inscript. III, 2 p. 645 et 663, III, 1 p. 494 et 496 aliisque locis effecit.

pedem referret, eamque ob causam fides his verbis haberi non potest. Tamen neque Appianus, qui terram saltuosam esse dicit, neque Dio (49, 36) neque Strabo (VII, 5, 10) amoenam hujus terrae naturam esse tradunt. Strabo enim descripta Illyrici ora narrat regiones ei superpositas saltibus esse occupatas et maximo frigore ac nive laborare, eas autem quas Pannonii incolerent, multo magis inhabitabiles esse, et ne vites quidem in eorum terra reperiri nisi paucas et in montibus et in campis dispersas. Quae narratio confirmatur simili Dionis descriptione, qui ipse Pannoniam vidit ejusque naturam percognovit. Addit hic autem et oleum iis deficere vinumque eorum acerbissimum esse, maxime vero agros hordeum et granum milium proferre. Aliter narrat Plinius, qui (III, 28) Pannoniam glandiferam fuisse refert, sed aër frigidum illius ignorat vel certe non commemorat ac potius indicare mihi videtur his verbis: „Pannonia, qua mitescentia Alpium juga molli in dextra ac laeva devexitate considunt.“ Pannoniam quoque montibus completam esse, sed minus altis, et hanc ob causam minus horridam minusque frigidam atque Alpes. Alio Strabonis [1]) loco traditur septentrionales Pannoniae regiones ab ovibus depastas Bojos devictos victoribus Dacis reliquisse. Fortasse et Strabo et Dio Pannoniam tam atroci et fera natura fuisse demonstraverunt, quia cum Italia eam conferebant. Itaque, praesertim si audierimus [2]) seculo quarto p. Ch. n. Pannoniam fertilissimam fuisse omnibus frugibus et jumentis, et domicilium imperatorum amoenum, ac Solinum (collect. 21, 3) Pannoniam nominare terram solo laetam, quae jam diu agricultura exercita [3]) multas fruges dederit, conici potest, etiam si concesserimus Romanorum occupatione maxime hujus terrae fertilitatem esse auctam, non tam detestabilem ejus naturam fuisse, quam describunt auctores.

Neque enim aqua laborabat Pannonia, cum omnes hujus provinciae „inclyti“ sint [4]) et multi quidem eorum navigabiles, ut Dravus e Noricorum terra violentius prorumpens et Savus ex Alpibus Carnicis placidius defluens non magno intervallo

---

1) v. Strabo V, 1, 6, ubi de Bojorum ex Italia ad Istrum profectione abulatur.

2) Mai. auctor. class. III, 404 in „junioris philosophi orbis descriptione ub Constantino imperatore.“

3) Cfr. Hyginus „de constituend. limit.“ ed. Lachm. p. 205, qui in Pannonia partes arvi primi et arvi secundi, silvas glandiferas, silvas vulgares, ascuas fuisse Augusti temporibus narrat.

4) Solinus l. c. c. 23.

inter se relicto. Praeterea Ister fluvius aquae magnam copiam secum volvens Pannoniae fines alluit, atque etiam inter fluvios in illos tres influentes plurimi sunt navigationi apti, ut Arrabo, Corcoras, Colapis, Valdasus, Urpanus [1]), quos Plinius non ignobiles esse dicit.

Fluviis adjunguntur lacus nonnulli, quorum maximus est Peiso vel Pelso. Hunc, etsi Plinius ad fines Noricorum collocat, lacum, quem nunc vocamus Neusiedlersee, esse nego, quia Jordanis l. c. 50 et 52 eum in Valeria provincia fuisse scribit et ille, ut nostris temporibus paene exsiccatus paullatim iterum se complet, ita eo ipso tempore vel paullo post exortus esse videtur. Potius lacum, qui Germanice dicitur „Plattensee" illud nomen significat. Causa igitur nulla reperitur, cur Muchari [2]) sententiam complectamur et lacum Peisonem Plinii a lacu Pelsone Aurelii Victoris et Jordanis secernamus, praesertim cum Mucharus ipse nominum similitudine commotus esse videatur, ut eundem sensum haec duo verba habere dicat neque secerni posse lacus illos duos nisi addito vel „superior vel inferior" adjectivo. Verba Plinii autem: „No-

1) De his fluviis cfr. Forbiger, Handbuch der alten Geographie III, p. 463. Alios commemorant tabula Peutingeriana, Vellej. II, 114, Jordanis de orig. Get. 52. 50, 54, Ptolemaeus II, 17, 2 aliique. Ptolemaeus autem Dravi partem meridionalem *Δάρον* nominat, et septentrionalem Savariam. Qui error certo ex Strabonis descriptione illorum fluminum Dravi et Savi exortus est. Ille enim (VII, 5, 2) Savum in Dravum, hunc in Noarum apud Segesticam influentem fingit. Quae Strabonis confusio partim explicatur, quod totam illam regionem a lacu Vindeliciorum usque ad Istri flexum ita contrahit, ut hunc lacum eundem esse ac lacum Pelsonem censeat. Tamen fluviorum confluxum Strabo fortasse usque ad Segesticam recte tradit, sed nominibus mutatis. Nam si IV, 6, 10 post oppidi nomen *Ναύπορτον* supplemus *Ναύπορτος* pro Corcora, id cum Plinio consentit (et Mommsenii conjecturam (vid. supra p. 15) reicit). Deinde verba *συμβάλλει δ' εἰς τὸν Σαὸν κατὰ τὴν πόλιν καὶ ὁ Κόλαπις* referenda sunt ad urbem modo nominatam Nauportum significantque Corcoram, quem infra recte Strabo dicit prope ad Nauportum in Savum influere. Qua re efficitur, ut Strabonis verba secum cohaereant. Nam si IV, 6, 10 *κατὰ τὴν πόλιν* ad Segesticam referimus, intellegi non potest, qua ratione VII, 5, 2 idem Strabo dicat Savum jam supra Segesticam in Dravum influere. Ut a Segestica autem fluminum cursus confunderet, commotus esse videtur Strabo insula illa, quae ad Segesticam fluminibus formatur. — De Ptolemaei Savaria Mannertus (Geographie der Griech. u. Röm. III, 56) hanc sententiam protulit: „Ptolemaeus nomine Savaria flumen Mur dicit, cum hoc flumen nusquam commemoretur, nisi quod in tabula Peutingeriana stationis nomen „In Murio" invenitur, et cum Savariae urbis nomen Ptolemaeum in errorem perducere potuerit. Sed Savaria longius a Murio mihi abesse videtur, quam ut ejus conjecturam probemus. Itaque, si non per Strabonem eum errasse concedimus, Ptolemaeum Savaria nomine magis Arrabonem quam Murium significasse judico.

2) Muchar, Noricum p. 3. Cfr. Forbiger. l. c. III, p. 455, n. 25 et praeterea v. de convers. Carantan. c. 6 (SS. XI, 9).

ricis junguntur lacus Peiso, deserta Bojorum“ nihil habent offensionis, cum lacus Peiso et deserta Bojorum totam Pannoniam septentrionalem comprehendant et recte igitur ille hanc Pannoniae partem Noricis conjungi affirmare possit[1]). Praeter hunc lacum nominatur apud Strabonem VII, 5, 2 palus Lugea, cujus situm si recte ostendit Strabo prodens eum esse in via Tergeste super Ocram montem ferente, lacus Caerchnitianus est, et palus Hiulca (Dio 55, 32. Victor. 41, 5), quam Mommsenius ex Zosimi II, 18 ad urbem Cibalim collocat.

Insulas autem duas commemoravit Plinius, Segesticam, in qua urbem eodem nomine cognominatam alii fuisse adnotant, et Metubarrim, „maximam omnium insularum amnicarum“. Qua in regione haec sita fuerit, non elucet, et cum ceteri hanc non cognoverint, Plinius duas ex una fecisse vel duo nomina pro una insula audiens duas esse sibi finxisse videtur, etsi concedimus fieri potuisse, ut illa insula ceteros effugeret aut in uliginoso ejus regionis solo formata paullo post ita evanuisset, ut ne reliquiae quidem nobis extent.

Montibus autem completam esse Pannoniam jam vidimus, quorum e numero Caravancam et Cetium et Bebios montes in finium descriptione cognovimus. De situ autem saltus Claudii et Almae infra disseremus, cum haec quaestio arte cum Scordiscorum sedibus describendis cohaereat.

Jam enim natura Pannoniae perspecta, qui populi tum Pannoniam incoluerint, nobis inquirendum est. Magis autem artificiosam quam veram gentium descriptionem Ptolemaeus (II, 13 et 14) mihi videtur praebuisse. Dividit enim Pannoniam in duas provincias, quae ejus aetate jam constitutae erant, atque in utraque provincia populos singulos ita a septentrione ad meridiem enumerat, ut secernat populos partis occidentalis ab orientali parte. Collocat igitur in provinciae superioris occidentalibus regionibus Azalos, Bojos, Colaetianos, Latovicos, in orientalibus autem Cytnos, Jassios, Oseriates, Varcianos. Eodem modo in provincia inferiore alteram partem incolunt Amantini, Hercuniates, Andiantes, Breuci, alteram Aravisci et Scordisci. Plinius autem populorum capita alio modo enumerat, cum dicit Dravum defluere per Serretes, Serrapillos, Jasos, Andizetes, Savum per Colapianos Breucosque, quorum e numero Ptolemaeus Serretes et Serrapillos

1) Fortasse Plinii verba III, 27 collata cum ejusdem IV, 12, 80, quibus hiberna Pannonica jam Poetovione translata esse Carnuntum narrantur, definiunt tempus, quo Carnuntum et regiones ei finitimae, quas aetate Augusti Norici partem fuisse testatur Vell. II, 109, conjungebantur cum Pannonia.

omisit, Jassios et Breucos autem in iisdem fere regionibus atque Plinius cognovit. Praeterea Andizetes Plinii cum Ptolemaei Andiantibus et Colapianos hujus cum illius Colaetianis congruere locorum ratio demonstrat. Sed exceptis populorum illis capitibus, aliarum gentium nomina profert, quarum sedes non indicat, ut Arivates, Azalos, Amantes, Belgites, Cataros, Cornacates, Eraviscos[1]), Hercuniates, Latovicos, Oseriates, Varcianos, quos quatuor vel quinque omissis jam apud Ptolemaeum invenimus. Amantes enim num iidem sint ac Ptolemaei Amantini dubitari potest, cum infra Plinius Amantinorum civitatem sitam fuisse tradat, ubi „Bacuntius amnis in Savum Sirmio oppido influit". Nomen igitur Amantinorum apud utrumque scriptorem extare vides; tamen sedes, quas huic genti adsignant, longo intervallo inter se distant. Quae dissensio ea re explicari posse videtur, quod Plinii temporibus gens illa Savi ripas incolens, cum partes septentrionales Pannoniae magis magisque natura exsiccatae traderentur agriculturae, Ptolemaei aetate jam ad Danubii Arrabonisque confluxum sit progressa[2]). Jam aliam difficultatem praebent verba Plinii: „Mons Claudius, cujus in fronte Scordisci, in tergo Taurisci." Quaeritur enim primum, quibus in regionibus mons Claudius, quem praeter Plinium commemorat Vellejus (II, 112), collocari debeat. Mommsenius (inscript. III, 1. p. 418) montem Claudium aut eundem esse ac montem Almam, de quo Dio (55, 30) idem fere narret quod Vellejus de Claudio, aut prope ad Almam in saltibus Slavoniae esse collocandum contendit. Sed non idem de his duobus collibus narrari, alio loco demonstrabo, etsi falso in Sturziana Dionis editione interpres quidam adnotavit apud Dionem narrari montem non ab hostibus sed a Romanis occupatum esse. Certo autem scimus ex Eutropio Almam montem fuisse apud Sirmium. Itaque Appianus Mommsenii conjecturam confirmare videtur, cum Scordiscos Triballis devictis a Romanis pulsos esse ex sedibus suis et in Pannoniae extrema parte consedisse referat. Sed Strabo Scordiscos in duas partes, quae οἱ μικροὶ et οἱ μεγάλοι Scordisci vocatae essent, divisos fuisse nobis ostendit, quorum altera pars major intra Noarum flumen et Margum atque occidentem versus usque ad Segesticam pertinuisset[3]). Nunc autem cum Noarum alluere dicat Strabo Scordiscorum fines, discerni non potest, in Pannonia illosne

1) Eosdem illos esse atque Ptolemaei Araviscos verisimile est.
2) Cfr. Mannert l. c. III, 567.
3) Hoc elucet ex VII, 5, 10 et VII, 5, 2 verbis collatis.

collocaverit an non, quia nescimus, ubi hoc flumen esse sibi finxerit, etsi mihi quidem verisimile videtur, Noarum in Dravi inferioris regione fuisse illum putasse, cum VII, 5, 2 tradat fluminum cum Noaro confluentium maximam partem in septentrionem volvi, qua re efficitur, ut Noarum quoque in septentrionem differat. Quae cum ita sint, dubium fit, num in illis extremis, Danubio proximis partibus Pannoniae Scordiscos fuisse putet Strabo, etsi eorum fines a meridie usque ad Segesticam pertinentes facit. Hanc ob causam nonnulli montem Claudium censebant prope ad Segesticam fuisse et illas fere regiones significare, ubi nunc sunt montes Warasdini. Sed quemcunque locum tribuimus huic monti, Taurisci, qui postea Norici sunt nominati, Scordiscorum affines recte dici non possunt. Itaque Plinium Strabonis verbis inductum, quibus Tauriscorum res confuse tractat, hoc loco errasse puto.[1]) Jam restat, ut de verbis a Strabone VII, 5, 2 traditis disputem, quibus Breucos, Andizetios, Ditiones, Pirustas, Mazaeos, Daesitiates Pannoniorum maximas gentes fuisse narrat. Constat autem Pirustas, Mazaeos, Daesitiates non inter Pannoniae populos esse referendos, sed extra ejus fines in Illyrica ora sedes suas habuisse.[2]) Quos ut Pannoniis adscriberet, commotus esse videtur Strabo, quod hi populi in rebellione illa atrocissima Pannoniae et Dalmatiae plurimum valebant et contra eos potissimum praeter Pannonios bellum gerebatur.[3])

Qua lingua usi sint Pannonii, indicat Tacitus (Germ. 28 et 43), cum Osos eodem sermone, institutis, moribus uti atque Araviscos dicit. Quam ob rem incertum esse, utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis, Germanorum natione[4]) an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint. Cotinos Gallicam, Osos Pannonicam linguam coarguere non esse Germanos c. 43 idem auctor addit. Secernit igitur Pannonicam linguam a Gallica et Germanica ut propriam, sed quia Osos non omnibus Pannoniis, sed Araviscis potissimum simili sermone uti tradit memoriae, Pannonicarum gentium sermonem omnium non parem fuisse, sed idiomatibus discrepuisse osten-

---

1) Vide supra p. 18, n. 1.

2) De Pirustis cfr. Caes. b. G. V. 1 et Vellej. II, 115. de Mazaeis Dio. Cass. 55, 32 et Plin. III, 22, de Daesitiatibus Vell, II, 115 et Plin.

3) Nunc etiam apparet, quam ob rem Strabo in describendis Pannoniae finibus (VII, 5, 2) dixerit: „πρὸς δὲ τὰ ἄλλα μέρη ἐπὶ πλέον διατείνουσι“ (sc. Pannonii).

4) De recte interpretandi „Germanorum natione“ modo v. Schweizer-Sidler Taciti Germ. p. 55.

dit.[1]) Similis vero fuit lingua Pannonicorum linguae Illyriorum, cum eidem nationi adscribantur.

Requiretur fortasse nunc, quinam Pannoniorum mores fuerint. Dio Cassius eos κακοβιωτάτους δὲ ἀνθρώπων nominat, qui per hiemem maxime frigidam, quod aestate sibi agricultura paraverunt, consumunt, et hordeo tantum et milio vescuntur atque potu ex his frugibus effecto laetantur.[2]) Fortissimos tamen omnium populorum, quos ipse cognoverit, esse eos affirmat, et quia vita eorum egena sit neque jucundi quid praebeat, hanc nihili eos facere, sed caedis mortisque paene avidos esse. Religionem cruentam eorum, cujus ex praeceptis captivos Diis litabant, Augusti et Claudii edicta removerunt.[3])

Inter se universi non arte cohaerebant, sed in civitates plerasque dividebantur, quae oppidum munitum quasi caput sibi deligebant et suas res per se ipsae administrabant. Singulas civitates autem nihil coartabat, nisi quod eadem gente orti erant, eadem libertate utebantur, vicinitate inter se conjungebantur. Atque infirmissimum hoc vinculum fuisse videtur, quod in primo Romanorum impetu non omnes contra illos arma capiebant, sed tum demum, cum omnes eodem jugo opprimebantur. Negari autem nequit artiorem inter nonnullas civitates fuisse conjunctionem, quia non singulae civitates in bellis contra Romanos gestis prodierunt, sed plures conjunctae semper irrumpentibus obstabant, et Plinius idem fere de Liburnis, Dalmatis Japydibusque narrat. Haec dissensio causa quoque fuit, cur vincere eos Romani possent, et ad Pannonios idem fere referendum esse puto, quod Tacitus Agricola c. XII de Britannis dicit: „nec aliud adversus validissimas gentis pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt; rarus duabus tribusve civitatibus ad propellendum commune periculum conventus; ita singuli pugnant, universi vincuntur.“ Non recte autem Appianus (Illy. 22) urbes in Pannoniorum terra fuisse negat, sed per agros dispersos vicos generatim eos incoluisse. Commemoratur enim apud Appianum ipsum Segesta urbs munitissima. Neque verisimile est, cum ille in urbe Japydum Metulensium, qui et regione et natione proximi erant Pannoniis, curiam fuisse tradat, in Pannoniorum oppidis eam desiderari. Aperte au-

1) Cluverii Germania antiqua p. 43.

2) Haec est Sabaia, quam Ammianus 26, 8 ait fuisse ex hordeo vel frumento in liquorem conversum paupertinum in Illyrico potum. Cfr. Dio Cass. ed. Sturz. 49, 36 not.

3) Vide Plin. XXX, c. 1.

tem idem Appianus reges,[1]) vel qui omnibus Pannoniis imperabant, fuisse rejecit, et Taciti locum supra allatum optime confirmat his verbis: „*οὐδ' ἐς τὰ βουλευτήρια κοινὰ συνήεσαν*“ et „*ἀλλ' οὐδ' οὗτοι συνήεσαν ἀθρόοι δι' ἀναρχίαν.*“ At Appianus hoc loco non omnes Pannonios significat, sed qui inter Japydiam Segesticamque versabantur. At paullo post Segestam Pannoniorum terrae conjungendam esse ille addit, neque intellegi potest, quo modo gentes illius regionis inter Japydes et Segestanos sitae centum milia armatorum efficere potuerint, cum Pannonii et Dalmatae conjuncti ducenta modo peditum collegerint. Confici autem fortasse potest ex his verbis collatis cum antecedentibus: „*ἐπιμήκης* (*ἐστὶν ἡ Παιόνων* sc.) *ἐξ Ἰαπόδων ἐπὶ Δαρδάνους*“ Appianum Pannoniam non trans Savum extendisse.

Mercatura jam ante invasionem Romanos cum his nationibus conjunctos fuisse demonstrat Strabo IV, 6, 10 et V, 1, 8. Accipiebant enim Pannonii pro servis, pellibus, pecudibus ex Italia vinum atque oleum. Abundabat porro Pannonia piscibus (Jord. l. c. 5. Cassiodor. Var. 12, 4) ejusque canes apud antiquos celeberrimi erant. Longe lateque autem et magno quidem pretio petebatur flos amoenissimus, quem describit Plinius dicens paene metallum esse coepisse. Per Pannoniam electri quoque famam Romanis allatam esse idem testatur.

Nunc autem ad Octaviani contra Pannonios susceptam primam expeditionem redeamus. Ac si quaeritur, quae causa fuerit Pannoniam tum invadendi, nullam justam fuisse nobis confitendum est, etsi Suetonius non sine justis et necessariis causis Octavianum ulli genti bellum intulisse profitetur. Quae Suetonii verba fortasse ad Augustum jam imperium tenentem, non ad triumvirum sunt referenda. Dio enim nequaquam ab illis Augustum fuisse laesum prodit, sed id bellum, ut milites exerceret, suscepisse.[2]) Necessarium autem hoc bellum fortasse ex Romanorum sententia dici potuit, quia, dum Pannonii non plane devicti erant, et Italiae et Macedo-

---

1) Errat igitur Sextus Rufus, qui in „Breviario de victoriis et provinciis“ c. 7. Batonem Pannonieum „regem“ nominat. Nullus enim auctorum, qui aetatem tulerunt, ejus sententiam confirmat, (De Dio. 55, 34 alio loco dicemus) neque Noricorum rex commovere nos potest, ut Pannoniis quoque reges fuisse putemus. Potius Batones duo et Pinnetns duces fuerunt acerrimi et peritissimi (Voll II, 111), qui in qualibet civitate praestabant, et populis ad propellendum periculum conjunctis, omnium rerum summam tenebant. Conferri igitur potest eorum conditio cum Arminio nostro.

2) Florus II, 24 magis ad rebellionem, quae postea fuit, quam ad id tempus pertinere videtur.

niae semper illorum decursus erant metuendi. Eo accessit, ut Augustus Dacorum Thracumque populorum incursiones tandem aliquando finire et ex oppido munito, ad Savum sito, legatos suos ad Istrum inferiorem pugnantes adjuvare animo sibi constituisset.[1]) Non primus autem Romanorum Augustus ad Savum constitit. Excepta enim illa apud Livium 43, 1 commemorata expeditione, jam bis in Segestanorum terram Romanos impetus fecisse tradit Appianus, etsi neque ut obsides darent neque ut tributum solverent, eos cogerent.[2])

Sed priusquam ad Segesticam terram accessit Augustus, per Pannoniae ab incolis desertas regiones, qui ex silvarum insidiis milites Romanos interficiebant, est profectus. Quam rem aequo animo ille ferens nihil in eorum terra vastabat, neque vicos incendebat, cum se hoc modo eos facile in gratiam suam esse conciliaturum speraret. Quae spes cum vana esset, nec quisquam hostium rediret,[3]) in itinere Segesticam suscepto agris passim devastatis et vicis incensis, ubi fuisset, aperte hostibus demonstrabat. Multa jam praeda collecta in Segestanorum terram, ad Savum sitam, Romani pervenerunt.

Hic discrepant inter se Strabo et Appianus de Segestica vel Segeste et Siscia. Appianus enim in Segestanorum terra Pannoniae parte sitam fuisse urbem muris circumdatam et flumine fossaque munitam, cui c. 23 nomen Segestae videtur attribuere. Dio autem Segestae vel Segesticae nomen ne audiit quidem, sed de Siscia idem fere narrat atque Appianus de illa. Nec dubitari potest, quin eandem regionem uterque eorum significet, cum situm similem et similem naturam ejus fuisse demonstrent. Emendat autem Appianum Dio, cum refert fossam illam Augusto accedente nondum fuisse, sed Tiberii jussu paullo post esse ductam. E Strabonis et Plinii narrationibus hanc dissensionem ortam esse censeo, quorum uterque et Sisciam et Segesticam cognovit; ille autem Segesticam urbem in complurium fluminum confluxu sitam quasi propugnaculum contra Dacos constitutam et Sisciam prope Segesticam in itinere, quod ex Pannonia Italiam versus ferebat, castellum fuisse, hic Segesticam in-

1) App. Illy. 22. Jam naves in Savo erant, quae frumentum in Danubii regiones inferioris portarent.

2) Cfr. supra p. 5.

3) Ita Appianus Illy. 22. Aliter Dio (49, 37), qui Augustum non prius hanc terram populatum esse dicit, quam hostes apud Sisciam majus damnum sibi intulissent.

sulam gemino Colapis in Savum influentis alveo effectam et Sisciam urbem in hac regione sitam esse tradit. Praeterea Plinius aliam fuisse urbem, nomine Segestae cognominatam, in Carnorum finibus sibi finxit, sed nullam aliam ob causam, nisi quod nomen Segestae apud nonnullos scriptores urbi attributum invenit neque eam cum insula Segestica quo modo conjungeret, intellexit. Eo facilius autem id fieri potuit, quo verisimilius est ante Romanorum impetus Segesticam modo urbem in illis regionibus fuisse, deinde autem prope eam a Romanis castellum Sisciam esse conditum, quod postquam Tiberius fossa ducta insulam ibi effecit, cum urbe Segestica coaluit atque ejus nomen ita extinxit ut non permaneret nisi in insulae significatione. Confirmatur optime haec sententia Appiani verbis c. 24 traditis: „*καὶ τῆς πόλεως μέρος διατειχίσας ἐσήγαγεν ἐς αὐτὸ φρουράν*," ubi Appianus castellum illud non prope urbem, sed in urbis ipsius parte institutum esse dicit.[1]) Cum Augustus magno exercitu accederet, regionem, quae fluminibus non cingebatur, aggere et cratibus illi munierant. Nuntio tamen devastationis Romanorum eorumque copiis perterriti ad Augustum legatos, qui interrogarent, quid sibi vellet, miserunt. Responsum iis est, si praesidium reciperent centumque obsides darent, eos incolumes futuros. Quibus rebus concessis postulabat frumentum quoque Augustus, quantumcunque dare possent. Qua conditione exagitata plebs neglectis obsidibus, cum pueri optimatium essent, praesidium in urbem ingressurum pellebant portasque claudebant. Quam rem cum Dio omiserit, eaque rebus post Metulum expugnatum narratis sit simillima, dubia fit. Aeque in dubium autem vocari debet, quod Dio Octavianum narrat ex Istro in Savum Colapimque naves a sociis illarum regionum fabricatas duxisse, quibus urbem ex fluminibus aggrederetur, compluriaque proelia navalia cum obsessis, qui lintres ex uno arboris trunco cavatas sibi paraverant, fecisse. Moesia enim non ante a. 29, quo M. Crassus Macedoniae imperium tenebat, plane devicta fuisse videtur,[2]) cum Augustus apud Dionem (53, 7) se subjecisse imperio suo Moesiam ipse glorietur. Nondum autem illo tempore Moesicae gentes Danubii ripam incolentes Romanorum socii erant nec Dacos Romanis inimicissimos naves incolumes descendere passos esse verisimile est. Relinquitur, ut ad Scordiscos illa Dionis verba referamus atque, jam tum a Scordiscis

1) De Segetica, quam commemorat Dio 51, 23 cfr. Dio Cass. ed. Sturz. not.
2) Dio 51, 23 et Florus II, 26.

Romanos in Pannoniorum oppressione esse adjutos putemus, etsi aliud hujus rei testimonium non extat.[1]) Id quidem constat Segestanos maxima cum virtute se defendisse et Romanorum vallum machinasque saepius tentasse, dum audiebant Pannoniorum exercitum, qui auxilio suo venisset, ab Octaviano plurimam partem esse occisum neque alios sibi succurrere audere. Tricesimo die tandem obsessionis supplicare Caesari coeperunt, qui virtute eorum et misericordia commotus vitae atque urbi eorum parcebat et, multa iis imposita, praesidium viginti quinque manipulorum ibi reliquit. Vix autem Dionis verbis fides haberi potest, qui reliquas quoque Pannoniorum gentes, Segeste capta, in Romanorum dicionem venisse judicat, cum supra jam demonstraverimus Pannoniorum populos arte non inter se cohaesisse, neque verisimile sit civitates longinquas nuntio eo accepto illico animum ita demisisse, ut libertatem abicerent. An, si tota Pannonia Romanum jugum tum suscepisset, Octavianum putas in extrema hujus provinciae parte praesidium constituisse? At Julius Caesar hieme a. 54 legiones suas non in extrema parte Galliae expugnatae constituit. At in finibus eorum populorum, qui maxime tum turbati proximique Rheno Germanisque erant, militibus suis hiberna dedit. Huc accedit, quod Augustus ipse (Res gestae d. Aug. V, 46) a Tiberio postea Illyrici fines ad Danubium prolatos esse refert.[2]) Octavianus ipse autem aestate finita Romam rediit;[3]) qua de causa, incertum. Triumphum enim, qui ei decretus erat, rejecit neque aliud perfecit ex Dionis narratione, nisi ut Octaviae et Liviae statuas erigeret, jus rerum per se administrandarum iisdem daret easque tanquam tribunos sacrosanctas esse juberet.

Sed a. 34 ineunte Romam nuntiatum est, Segestanos praesidium ibi relictum occidisse, quam ob rem Caesar, qui vere demum Illyricum repetere sibi constituerat, jam hiemis tempore eo contendit. Ita Appianus. Dio autem Caesarem jam hoc tempore ostendit de expeditione Britannica cogitasse et hieme hujus anni extrema in Gallia jam esse versatum, ut copias in Britanniam transiceret, cum nuntium acciperet

---

1) Idem insequenti tempore factum esse indicat Dio Cass. 54. 31.

2) Quod apud Livium (epit. 131) Caesarem hoc anno Japydes et Dalmatas et Pannonios subegisse legitur, magni momenti non est, cum epitomator facile pro Segestanis Pannonios ponere potuerit, ut Segestanorum nationem significaret.

3) Temporis ratione habita, aestate jam finita id factum esse apparet. Initio enim aestatis Octavianus ex Sicilia abiit, Japydes deinde devicit et Pannoniorum cum alios, tum Segestanos, in quorum urbe oppugnanda triginta dies consumpsit.

Pannonios cum Dalmatis conjunctos defecisse. Hac re autem, quod putat jam hoc anno Augustum patris exemplum imitatum Britanniae oppressionem praeparasse,[1]) Dio mihi commotus esse videtur, ut jam a. 35 Pannonios censeret Romanis se dedidisse — aliam enim expeditionem, nisi id factum erat, vix Octavianus in animo habere potuit — eandemque ob causam illum scripsisse judico primum Agrippam, deinde Caesarem ipsum contra Dalmatas bellum gessisse, quia in copia rerum hoc anno gestarum, quae apud Appianum narratur, negari vix potest hoc bellum ante aestatem initam renovatum esse. In tempore autem, quo Octavianus urbe excessit, definiendo, non multum inter se differunt Appianus et Dio, cum ille, dum hiems esset, eum urbe excessisse, hic post hiemem vix peractam in Gallia eum versatum esse tradit. Non modo autem Pannoniorum Segestani et Dalmatae, sed etiam Salassi, gens fera et atrox, cum populis aliis quibusdam rebellabant. Contra quos Valerius Messala Corvinus missus fame eos ad deditionem coëgit.[2]) Segestani autem, qui repentino impetu praesidium Romanum urbe expulerant nonnullosque milites occiderant, a Gemino Fufio insequenti die victi sunt, eorumque urbs est recepta. Augustus ipse, ut Dalmatas, qui animis elati ex Gabiniana illa clade arma non deposuerant,[3]) sed etiam illo accedente Versonem conjunctis copiis suis ducem constituerant et Promonam, Liburnorum urbem vi ceperant, poena graviore afficeret, profectus est.[4]) Primum igitur Promonam contendit, quam urbem in monte sitam et collibus undique munitam Dalmatae arte quoque munierant. Tamen occupatis, dolo et nocte adjuvante, collibus praeter duos, hos et urbem aggere circumdedit, quadraginta stadiorum circuitu, in quo opere efficiendo cum Dalmatarum alius exercitus Testimo duce eum

---

1) Hoeck. l. c. p. 282 illam expeditionem in Britanniam suscipiendam nihil fuisse nisi causam, qua apparatus suos maximos ad civile bellum gerendum obtegeret Octavianus, putat, quod vix probari potest, cum postea iterum ex Dionis narratione hanc ille animo volveret.

2) App. Illy. c. 17. Notandum hic est Tibullum IV, 1, 109 sq. vv. Messalam Corvinum contra Pannonios et Japydes quoque bellum gessisse narrare, cum expeditionis contra Salassos ab eo factae commemorationem nullam faciat. Aut Valerius igitur his bellis duce Augusto adfuit, aut quod verisimilius esse videtur, carmen non Tibullo, sed alii cuidam adsignandum est, qui temporum rerumque ab eo gestarum rationem non recte cognovit. Cfr. praeterea Tibullum ed. Dissen. p. 486 sq.

3) Vellej. II, 90 illo tempore Dalmatiam annos 220 rebellem ad certam confessionem pacatam esse imperii tradit.

4) Num jam anno superiore Dalmatae Pannonios adjuverint dubium est. Cfr. Liv. epit. 121.

impediret, Octavianus facile eum devicit, et ut in proximos montes confugeret, coëgit, ubi in conspectu suo Romanos una cum ex urbe egressis et illico repulsis urbem intrare magnamque caedem in ea facere patiebatur. Reliqui autem in summam urbis partem confugerant, unde quarta nocte Romanorum ad portas collocatam manum[1]) ingressi sunt, quae metu perterrita locum destituit et effecit, ut Octavianus aegre hostes repelleret. Tamen postero die omnes, qui in urbe erant, in dicionem illius venerunt, et Testimus exercitum suum dimisit, ne Romani eum consequi possent, quia itinerum regionisque ignari essent. Copiis autem recollectis ad Synodium oppidum, insidias Caesari loco silvis magnis faucibus altisque montibus munito struxit. Quod cum ille animadvertisset, eodem modo atque apud Japydes provide in valle processit, aliis semper in collibus eum subsequentibus, Synodium incendio delevit et terram depopulatus usque ad Setoviam processit, cujus in obsessione recens Dalmatarum exercitus eum vexabat, quem illico proelio inito devicit.

In hac pugna autem alterum vulnus excepit Octavianus, cum lapide ictus esset genu dextrum,[2]) quo vulnere complures dies laborabat. Sed anno nondum absoluto Romam convalescens rediit, ut consulatum anni 31 susciperet, postquam Statilium Taurum ad reliquias belli administrandas reliquit.[3]) Sed non diu Romae moratus consulatu abdicato ad Dalmatas se retulit, qui fame maxime coacti, quod ipsi bello agrum colere prohibebantur et commeatus iis a Romanis intercludebatur, supplicantes Caesari advenienti se dediderunt atque 700 obsidibus et signis Gabinianis[4]) ei traditis vectigalia, quae ex Caesaris temporibus debebant, impensuros se esse promiserunt. Ex praeda autem, quam hoc bello sibi paraverat, Romae porticum[5]) et bibliothecam Octavianam ille extruxit et signis receptis ornavit. Non omnes populos ille

1) Quae manus ita puniebatur, ut decimus quisque militum et quintus quisque centurionum capitis damnaretur, reliquisque per hanc aestatem hordeum pro tritico daretur. App. Illy. 26. Dio autem, causa non adnotata, alios decumatos, aliis hordeum datum esse dicit, unam rem in duas discerpens.

2) Suet. Aug. 20. App. Illy. 27. Dio 49, 38. Hoc alterum vulnus fuisse ex Appiani narratione elucet, alterum autem Suetonii prius fusse apparet, quod et Dio et Appianus hoc modo apud Metulum Octavianum esse vulneratum tradunt.

3) Statilium Taurum hoc anno triumphum ex Africa egisse demonstrant Acta Triumphalia Capitolina (Momm. corp. in. L. I.).

4) Res gestae divi Augusti ed Mommsen V, 39.

5) Suet. Aug. 29. Plin. 35, 6. De bibliotheca cfr. Plutarchi Marcell. p. 316,

adire tum potuit propter valetudinem infirmam, ideoque non omnes hujus regionis incolas jam tum subegit. Recte igitur Appianus narrat: *ὅσοις δ' οὐκ ἐπλησίασε διὰ νόσον, οὔτ' ἔδοσαν οὔτε συνέθεντο*, quamvis deinde falso addat Caesarem omne Illyricum, quod a Romanis defecisset et quod ad id tempus Romanis non obtemperasset, subegisse [1]). Idem huic Appiani narrationi obiciemus, quod jam Dioni Cassio affirmanti subactam esse Pannoniam totam primo anno belli confecto objecimus. Neque orationis, quam Octavianum apud milites ante pugnam Actiacam habuisse sibi fingit Dio, verba: *„τῶν τοὺς Παννονίους κεχειρωμένων“* et *„καὶ Παννονίους ἐχειρώσασθε“* [2]) totius Pannoniae oppressionem jam tum factam esse demonstrant. Neque huic rei repugnat, quod Dio (50, 6) memoriae tradidit Octavianum in bello contra Antonium gerendo adjutum esse ab Illyriis, cum ex Illyrici parte subacta copiae contractae illi opitulari possent. Primo belli anno peracto triumphum decretum Caesar recusaverat, bello finito agere non potuit, quia jam dissensio inter eum et Antonium erat exorta.

Totius orbis terrarum autem princeps factus Octavianus Romam ab Oriente rediit et a. 29 tribus deinceps diebus triumphum egit de Dalmatis, de Actio, de Aegypto [3]).

Insequenti tempore operam maximam dedit, ut has regiones, quas ipse expugnaverat, castellis et praesidiis obstrictas teneret et jam tum illum in animo habuisse verisimile est regnum Romanum usque ad Danubium proferre, ut populos transdanuvianos a cisdanuvianis separaret et firmum certumque limitem constitueret. Videntur autem illae regiones, quas bello modo narrato imperio Romano adjecerat, conjunctae esse cum Illyrico, quod postea praefectum Dalmatiae et Pannoniae invenimus, neque intellegi potest, quacum provincia potius illa terra conjungenda fuisset nisi cum Illyrico, quoniam constat per se justam provinciam Pannoniam tum non fuisse [4]).

1) Fortasse Appiani verba supra allata non ad Dalmatas referri possunt, cum ipse jam aperte dixerit *Δαλματῶν δ' ἁλόντων*, sed ad alium populum, cujus nomen lacuna post verba *τῶν δὲ* facta evanuit.

2) Dio Cass. 50, 24 et 28 et 53, 7. Optime de hac re jam Hoeckius c. I, 1 p. 377 judicat, Romanos Pannoniae non majorem partem imperio subjectam tenuisse dicens, quam legiones occupassent.

3) De hujus triumphi tempore discrepant inter se fasti Antiates et tabula Peutingeriana. Sed ex Mommsenii sententia illi secundi triumphi diem priorem posuerunt. Cfr. praeterea Dio C. 51, 21. App. Illy. 28. Xiphil. p. 80. Tonaras Ann. X, 31. Suet. Aug. 22. Macrobius Saturnalia I, 12 et al. Orosius hist. I, 6, 20 „Octavo Idus Januarias urbem triplici triumpho Augustum ingressum esse“ refert.

4) Sed vide pag. seq.

Eandem ob causam, quae bellum Dalmaticum Pannonicumque commoverat, a. 29 etiam populis, qui Danubium accolebant in terra, quae postea vocatur Mysia vel Moesia [1]), et Bastarnis et Thracibus Octavianus arma intulit. M. Crassus enim, Macedoniae rector, ab Augusto missus Bastarnas usque ad internecionem redegit, Moesiae incolas subegit, Thracibus gravissimas clades intulit, Getarum principem Dapygem devicit sibique amicitia devinxit alium Getarum regem, cui Roles nomen erat.

His populis devictis totoque orbi terrarum pacato [2]) Octavianus septimum consul primo hujus anni conventu senatus auditoribus obstupescentibus declarabat, se onere imperii valde opprimi neque diutius hunc locum obtinere velle. Quod propositum cum aut per amicos suos aut per senatum ipsum rejectum esset, ne omnium provinciarum administratio sibi esset, impetravit, ut inter se et senatum dividerentur. Qua conditione accepta senatui obtigerunt provinciae, quae plane pacatae legionum non indigebant, Octavianus autem cum longinquis et bello turbatis regionibus tum omnibus legionibus praefectus est. Miramur in hac divisione, quod Illyricum modo oppresum in senatoriarum provinciarum ordinem redactum sit. Nemo enim putabit Octavianum hanc provinciam pacatam habuisse, cum tot nationes barbarae feraeque ei imminerent, gentesque ejus ipsae vix sub Romanorum jugum essent missae. Recte igitur coniciemus, si copias ex hac provincia tum abductas esse negamus, etsi intellegere non possumus, quam ob rem Octavianus hanc provinciam demiserit. Consideranti mihi autem alium Dionis locum, ubi de mutatione Dalmatiae loquitur (54, 34), in mentem venit Pannoniae partem, quae tum erat subacta, fortasse non cum Dalmatia illico conjunctam esse, sed quasi limitis tractum occupatum quidem esse a militibus Romanis, imperii autem Romani formas non accepisse. Dicit enim Dio illo loco propter propinquitatem Pannoniae Dalmatiam Augusti custodiae esse redditam, quibus ex verbis apparet Pannoniam et Dalmatiam hoc tempore non fuisse conjunctam. Illam autem ob moderationem et abstinentiam, ut paene omnibus visum est, paullo post a senatu, populo approbante, nomine „Augustus“ ornatus est Octavianus [3]). Quo titulo praeditus cum iterum expeditionem

---

1) De Moesiae finibus cfr. Dio 51, 27 et Zonaras Ann. X, 32.

2) Jam post triumphos illos actos Jani templum primum clausit.

3) Tempus definivit Momm. Corp. ins. lat. I, 384. Agunt de hac nominis mutatione Livius ep. 134, Dio 53, 16, Vell. II, 91 al.

in Britanniam esset suscepturus, Salassorum et Cantabrorum rebellio eum retinebat. Ipse contra Cantabros profectus ad Salassos domandos misit legatum Terentium Varronem, qui devictis tributum imponebat et omnes juvenes per milites suos comprehensos [1]) sub hasta vendidit hac conditione, ut ante annum vicesimum peractum non dimitterentur. Quas regiones ut magis tueretur, coloniam Augustam praetoriam tribus Romanorum milibus agros ibi assignans condidit.

Sed ne ita quidem Alpinorum populorum turbas finire potuit, cum per proximos annos saepius cum illis ei confligendum esset. Primum enim a. 16 Cammunii et Venostes, armis resumptis, a P. Silio [2]) brevi tempore victi sunt. Tunc etiam Pannonii cum Noricis conjuncti Istriam depopulantes sunt ingressi. Videtur igitur Romanorum in Pannoniorum terram incursio his viam in Italiam ferentem demonstrasse, eosque allexisse et amoenitas Italiae et fertilitas. Nam cum Florus (II, 24) Pannonios populatos proximos agros intra ripas fluminum suorum se recipere solitos esse affirmet nec unquam alias de his expeditionibus nobis quicquam traditum sit, ad hanc ipsam et insequentes incursiones referenda esse Flori verba videntur. Praeterea in Dalmatia, Gallia, Hispania turbae tum exortae erant, atque Macedonia per Dentheletas et Scordiscos, Thracia a Bessis Sauromatisque devastabatur, quo factum est, ut Italia ipsa summo in periculo versaretur. Nec Raeti atque Vindelicii hoc anno depopulationes, quas in Galliam aut in Italiam facere solebant, intermiserunt, cum contra hos quoque tempore proximo pugnaretur. Necessitas autem sine ulla alia causa Romanos tum cogebat, ut tandem aliquando earum gentium, quae vias per Alpes in regiones Pannonicas Dalmaticasque et Macedonicas stratas semper infestas reddebant, domini fierent. Itaque postquam hoc anno jam Pannonii et Norici a Silio ejusque legatis ita devicti sunt, ut recederent [3]), Thracia, Dalmatia, Gallia iterum pacatae

1) Dio 53, 25. Strabo IV, 6, 7. 36000 hominum, inter quos 8000 militum, illum vendidisse et populum paene delevisse dicit. Commemorat etiam hanc expeditionem Liv. ep. 135, Cassiodori chronicon ad a 729.

2) Num recte proconsulem Illyrici eum fuisse Marquardtius censeat, dubito. Potius legatum ab Augusto in has regiones missum esse eum puto.

3) Num Norici jam tum imperio Romano sint adjecti, quaestio est, etsi Dio hoc loco: *καὶ τοῖς Νωρικοῖς αἴτιοι τῆς αὐτῆς δουλείας ἐγένοντο*, et Strabo eos cum Raetis subactos esse refert. Videntur autem Norici non tam vi, quam pace subacti esse (Momms. Corp. insc. lat. III. 2, 588) quia Plinius III, 24 ubi omnes tum Romanis subjectos populos Alpinos enumerat, illos non commemorat. Omnino Mommsenius regni magis quam provinciae formam obtinuisse Noricum censet, quod saepius apud auctores etiam tempore insequenti regnum Noricum dicatur et quod legiones non ibi inveniantur.

sunt, privignis suis Tiberio et Druso Augustus Raetos Vindelicios-que domandos tradidit. Quorum alter a. 15 a Rheno, alter ex Italia montes nive detectos conscenderunt, quibus illi maxime confidebant. Sed gravissimis difficultatibus superatis una aestate omnes hujus regionis populos plane devicerunt et juvenum partem e sedibus suis abduxerunt, non pluribus relictis, quam qui agro colendo idonei, rebellando inepti essent[1]). Quibus rebus gestis maximam Augustus operam dabat, ut vias in his regionibus restitueret novasque sterneret.

Sed jam anno sequenti iterum quies novo Pannoniorum tumultu perturbata est, qui Raetis Vindeliciisque oppressis meminisse mihi videntur sibi eandem sortem instare, si non ipsi eam defenderent. Tamen non illico omnibus haec sententia placebat, cum primo seditionis anno (a. 14) pauci rebellantes ceteros explorasse videantur[2]). Itaque altero anno jam periculosius bellum fieri videbatur, quam ob rem Augustus Agrippam ex Syria redeuntem et iterum in quinquennium tribunicia dignitate ornatum atque majore potentia, quam quae usque ad id tempus ulli data erat, praeditum in Pannoniam misit. Qui sine mora, etsi hiems jam appropinquabat, necessitate et periculo rerum permotus Pannoniam petebat atque propter celeriorem omnium spe adventum tumultuantes afflixit. Quantum autem hoc bellum fuerit, demonstrat Vellejus (II, 96, 2), qui ibi primum Pannonicum bellum commemorat, cum in prima Octaviani expeditione in has regiones suscepta non de Pannonia, sed de Illyrico Dalmatiaque dixerit. Inchoatum autem esse ab Agrippa Marcoque Vinicio, avo ejus Vinicii, cui ipse librum suum dedicabat, bellum illud magnum atroxque et perquam vicinum Italiae imminens refert.

Pacatis Pannoniis Agrippa in Italiam rediit ibique in Campania fine mensis Martis mortuus est. Quo nuntio accepto bellum Pannonii redintegrabant et denuo proximis terris instabant. Contra quos Augustus Tiberium, quo duce praeclarior tum nemo fuit, misit. Petens deinde Illyricum Tiberius cum adisset Patavium, narrat Suetonius sorte ex Geryonis oraculo tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenisse, ut summum numerum jacti ab eo ostenderent. Priusquam autem Roma profectus

---

1) Strabo IV, 6, 8 et 9. Dio Cass. 54, 22. Vell. II, 95. Horat. Carm. IV, 14. Florus II, 22.

2) Dio 54, 24. Idem commemorat seditionem Ligurum comatarum ad hunc annum.

est instante Livia uxore Augusti, Tiberio Julia filia Augusti ex Scribonia nata despondebatur. Contra Pannonios deinde Scordiscis auxiliariis utebatur[1]), qui paullo ante Thraciam vexantes erant repressi. Quanam de causa illi ad Romanos adjuvandos perducti sint, nobis non traditur. Sed aut odio Pannoniorum aut praedandi causa cum Romanis copias suas conjunxisse videntur. Qui cum adjuvarent Tiberium, Pannoniorum terrae pleraque parte devastata multisque hominibus interfectis, seditio remittebat. Sed ut iis populis, quibuscum congressus erat, posthac rebellandi facultatem detraheret, armis eorum depostulatis juventutis copiam secum in externas terras duxit. His rebus feliciter peractis, non quod plane pacatos hostes putaret, sed quod Italia proxima erat, et quod jam tum fortasse, ut postea tradit Dio, (55, 28) metuit, ne alium quendam Augustus sibi praeferret, et potissimum ut Juliam sibi desponsam in matrimonium acciperet, hieme inita Romam rediit, ubi senatus maximos honores ei obtulit, Augustus autem triumphum eum agere non passus ornamenta triumphalia ei concedebat.

Veris initio Tiberius et Drusus, qui simul cum eo Romae versatus erat, ad expeditiones suas perficiendas profecti sunt, hic in Germanos, ille in Pannonios et Dalmatas, qui turbis vicinis ipsi turbati ad seditionem proni erant. Pannonii autem illorum auxilii spe elati arma cum iis conjunxerant, praesertim cum maxima pars exercitus Romani abesset. Quanam potestate ornatus Tiberius in Dalmatiam, senatus provinciam missus sit, non elucet, sed verisimile est illum non a senatu, sed ab Augusto aeque atque anno insequenti missum esse et fortasse eadem extraordinaria potestate qua Agrippam praeditum fuisse[2]). Bellum autem contra seditiosos feliciter gerebat cum exercitu terram pervolans atque mox in Dalmatia

1) Cum Scordiscos Dio *ὁμοσκεύους* vocet Pannoniis, conici non potest eos Pannoniorum vel Illyriorum gentem fuisse, sed Celtis eos attribuendos esse App. Illy. 5. Athenaeus VI, 5. Justin. 32, 3 testantur. Flori testimonium autem, Thraces eos fuisse nulli momenti est, cum ille ipse (I, 39) insequentibus verbis demonstret se commutasse Scordiscos cum Thracibus et Getis, quia Scordiscos sinistram Danubii ripam incolentes facit.

2) Num Mommsenius (res gestae divi Augusti p. 87) recte colligat, quod Tiberius legatus fuerit nominatus, jam ante bellum initum Tiberium legatum pro praetore Dalmatiae et fortasse Pannoniae quoque praefuisse, dubitare quisquam potest, cum Dio rebus hoc anno gestis subnectat provinciam Dalmatiam commutatam esse. Fieri autem potuit, ut Tiberius ab Augusto eum legionibus mitteretur in provinciam senatus turbatam, etsi senatus legatus ibi aderat. Sed cum hic non commemoretur, illius sententia probabilitatem utique habet, jam hujus anni initio Dalmatiam Augusto datam esse a senatu, qui Cyprum et Galliam Narbonensem ejus loco accepit.

mox in Pannonia copias hostium ita fundens et dissipans, ut Vellejus adulans maxime Tiberium, excelsissimas et multiplices victorias in hoc bello reportasse illum praedicet, Livius autem (ep. 139) narret hoc tempore Neronem Drusi fratrem Pannonios Dalmatasque subegisse[1]).

Ac si quaeritur, quas Pannoniae regiones Tiberius tum pacaverit, Mommsenius haec bella non ultra agrum inter Dravum et Savum jacentem pertinuisse neque longius Romanos tum progressos esse contendit. Confirmat autem maxime sententiam suam ex titulis tegulisque proditis demonstrans primi seculi ineuntis et medii temporibus legiones stativa non habuisse ultra Carnuntum, Poetovionem, Sisciam. Militaribus enim viis, quae illas urbes conjungunt, limitem Pannoniae et imperii Romani definitum fuisse censet. Etiam Flori verba, qui de Pannoniis Dravo Savoque vallatis loquitur, testimonio sibi esse voluit, etsi jam vidimus, quantula Floro in his regionibus definiendis fides attribuenda sit, cum Noricos et Raetos Vindeliciosque non secernat, bellum Japydicum contra omnes Illyrios factum esse putet neque de expeditionibus Alpinis probabiliter referat. Sexti Rufi locus autem[2]) nequaquam illius conjecturam probat, ubi legitur „Amantinis inter Savum et Dravum prostratis, regionem Savensem ac Secundorum Pannoniorum loca obtenta esse.“ Primum enim secernit Pannonios, qui subditi erant Batoni, ab Amantinis, quae res demonstrat, illum putasse Batonis populos (i. e. Pannonios) non inter Savum et Dravum, sed alio quodam loco consedisse. Deinde autem pergit Rufus confundere Augusti et posteriorum imperatorum tempora, cum Marcomannos Quadosque illius aetate ex locis inter Danubium et Dravum sitis ejectos esse narret[3]).

Sed omisso et Flori et Rufi testimonio, extant alia, quae indicant, etsi tituli tegulaeque hujus temporis ultra Sisciam non inveniuntur, hanc urbem in his regionibus non ultimam Romanorum fuisse. Tradit enim Augustus ipse[4]) Tiberium Neronem hoc bello fines Illyrici protulisse ad ripam fluminis Danubii, neque intellego, cur Mommsenius (inscript. l. III, 1 p. 416) dixerit hanc rem ad nostram quaestionem pertinere

---

1) Utrum Vellejus promissionem II, 96, 2 datam exsecutus sit an non, nescimus, certe ejus liber de Tiberii expeditionibus conscriptus non extat.

2) Sextus Rufus Breviarium de victoriis et provinciis c. 7 et 8.

3) Idem peccat Messala Corvinus „De Augusti progenie“ c. 35.

4) Res gest. d. Aug. V, 44. Ea verba ad hanc Tiberii expeditionem pertinere aperte Mommsenius ipse demonstrat.

parum. Vix in hoc omnibus proponendo commentario Augustus mentiri potuit. Huc accedit, quod Dio in rebellione secunda Pannoniorum Dalmatarumque Batonem iter suum habuisse contra Sirmium et contra Romanos ibi collocatos narrat. Nec negari potest necessitate rerum Romanos coactos fuisse fines suos ad Sirmium proferre, ut Moesiae legionibus quam proximi fierent, praesertim si meminerimus jam in prima contra Pannonios suscepta expeditione Augustum id consilium cepisse. Intellegere denique non possumus, quam ob rem Augustus Agrippae extraordinariam potestatem dederit, si Segestanos tantum rebellasse putamus, nec praeter eos alios quoque, quorum partem bello feliciter gesto et Agrippa et Tiberius imperio Romano adjecisse videntur. Atque etiam Suetonius sententiam nostram probat, cum (Tib. 9) dicit Pannonico bello Breucos et Dalmatas a Tiberio subactos esse. Breucos enim in his regionibus extremis collocatos esse jam vidimus.

Itaque, etsi septentrionem versus Pannoniae fines usque ad Danubium pertinuisse nego, cum nulla hujus rei indicia afferri possint atque Plinius haec loca inculta fuisse tradat, sua aetate autem occidentales partes, postquam jam Carnuntum Pannoniae sit attributum, duobus oppidis Savaria et Scarabantia habitatas esse, tamen usque ad Sirmium, Moesiae fines Danubiumque pertinuisse Romanis tum subjectam Pannoniam affirmo [1]).

Propter has victorias Tiberio a senatu ornamenta triumphalia iterum concessa sunt et ovantem urbem intrare ei permissum est. Praeterea proconsulari imperio, cum bellum finivisset, ornatus est. Hujus rebellionis causa, addit Dio, et propter propinquitatem Pannoniae tum Dalmatiam a senatu Augusto redditam esse. Verisimile autem est, ut jam demonstravimus [2]), hanc mutationem antea factam esse. Hoc tempore demum Pannonia cum Dalmatia provincia conjuncta videtur, cum in secunda illa rebellione *ἄρχων Δαλματίας καὶ Παννονίας* commemoretur. Ac si Mommsenii sententiam jam ante bellum factam esse mutationem probamus, primum Tiberium his terris conjunctis praefuisse putabimus.

Dum haec geruntur, Bessi, qui duce Vologaese Rhascuporim filium Cotyis ejusque avunculum Rhoemetalcem pe-

1) Dionis verba 50, 24 quae Octavianum in oratione quadam edentem ille fingit, *τῶν μέχρι τοῦ Ἴστρου προκεχωρηκότων* non ad Pannoniae fines referri possunt, cum antea jam dixerit: „*τῶν τοὺς Παννονίους κεχειρωμένων.*“

2) Cfr. supra p. 33, n. 2.

pulerant, a L. Pisone domiti sunt. Sed ne insequenti anno quidem illae regiones plane turbis liberatae erant. Daci enim Danubium transgressi [1]) magnam ex Pannonia praedam detrahebant atque Dalmatae ob vectigalia arma contra tyrannos suos movebant. Tiberius una cum Augusto et Druso in Gallia Cisalpina [2]) versabatur, cum hunc nuntium accepit, atque illico profectus mox ad quietem eos redegit et iterum novas a. 9 in Pannonia Dalmatiaque ortas composuit turbas, priusquam ab Augusto ad Drusum moriturum missus est. Romam reversus ex Pannonia Druso jam vivo ovans urbem intraverat ex S. C. anni superioris atque cum Livia matre coenam publicam populo Romano dederat. Senatus autem populusque Romanus in rerum ab illo gestarum memoriam Alpinis gentibus omnibus devictis arcus duos in regionibus occupatis posuerunt, alterum Segusione adhuc extantem de civitatibus Cottianis XV, alterum a. 7/6 i. e. anno, quo Mommsenius bella Alpina Raetia provincia constituta finem cepisse putat [3]). Hunc Petrus (Röm. Gesch. III, 62) apud Monaconem, quae nunc dicitur, fuisse contendit.

Abrahamus autem in programmate jam allato ex Dionis verbis 55, 10a traditis conjecit Domitium Ahenobarbum in legatorum Augusti pro praetore Illyrici numerum esse referendum. Sed quamvis argute hanc rem excogitaverit, tamen, quod dubitationem afferat, restat. Primum enim vix verba *τὰ πρὸς τῷ Ἴστρῳ χωρία* Illyricum significare possunt, cum hoc tempore Illyricum septentrionem quidem versus non pertinuisse ad Danubium jam ostenderimus. Deinde intellegere non possumus, quo modo Domitius in Bojohemo Hermunduris sedes dare potuerit, cum Marcomanni hanc terram obtinuerint nec bellum cum iis a Domitio gestum commemoretur, quo illius terrae partem expugnare potuerit. Sed quod admonet ille Hermunduros ab auctoribus hujus temporis non in terra a Marcomannis modo relicta i. e. prope ad Rhenum, sed a Vellejo et Strabone consentientibus in orientalibus Germaniae mediae partibus collocari, ita explicari facile posse mihi videtur, si ante migrationem in illis regionibus eos fuisse putamus, tum autem a Marcomannis irrumpentibus pulsos in terra ab iis relicta domicilium atque sedes a Domitio accepisse.

---

1) Dio C. 54, 34. Florus II, 28. Horatius Carm. III, 18, 8. Pedo elegia in Drusum v. 388.

2) Cfr. Tacit. Ann. III, 5 et Valer. Maxim. V, 3.

3) Dio C. 53, 26 jam ad annum 25 a Ch. narrat unum arcum propter victorias reportatas in Alpibus esse positum. Sed illo loco id commemorat, quia initium bellorum ibi Alpinorum narrat. Cfr. Res gestae d. Aug. p. 71.

Fortasse autem cum Tacitus quoque Hermunduros in illis regionibus circa Albim fluvium sitis fuisse dicat, non omnes Hermunduri a Marcomannis sunt pulsi, sed pars eorum in finibus artioribus remanebat, pars excessit.

Ac si memineris Suetonium hoc a Domitio gestum bellum nominare Germanicum et Tacitum (Ann. I, 63) narrare Caecinam ex saltus Teutoburgiensis regione ad Rhenum petentem milites suos per longos pontes a L. Domitio ante exaggeratos duxisse, facile concedes Dionem omnino non recte tradidisse, illam expeditionem a Domitio ex Danubii regionibus esse susceptam. Non enim pontes, quos Domitius curaverat propter expeditionem illam efficiendos in iisdem regionibus esse poterant, in quibus Tacitus eos commemorat, si a Danubio Domitius flumen Albim petiisset.

VITA.

Natus sum Fridericus Aemilius Strassburger Islebiae a. MDCCCLIII m. Novemb. die V patre Friderico, matre Christiana, quos superstites esse gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus inde ab anno h. s. LXV gymnasium Islebense frequentavi, ubi Schwalbe rectore sex et dimidium annos ad literas incubui. A. LXXII testimonio maturitatis munitus universitatem Halensem adii imprimis studiis historicis et philologicis me daturus. Audivi per septem semestria viros clarissimos Bernhardyum, Droysenium, Duemmlerum, Erdmannum, Haymium, Hertzbergium, Heydemannum, Keilium, Kirchhoffium, Zacherum, Hensenium. Sodalis fui seminarii philologici et senior. Societati historicae Droysenii et Duemmleri, Heydemanni archaeologicae, philologicae Keilii, Siebeckii philosophicae interfui.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias has ago maximas.

THESES.

I. Thucydidis historiarum l. III. c. 84 interpolatum esse censeo.

II. Mommsenius acerbius de Pompejo judicat (Röm. Gesch. III).

III. In Propertii l. IV eleg. X lacunam, quam Muellerus constituit, esse nego.

IV. Liberos, qui dicuntur „Altfreie“, nunquam in medii aevi oppidis prorsus interiisse affirmo.

V. Qui legatorum necis, quae apud Rastadt facta est, auctores fuerint, vix unquam certo dici poterit.

3 0112 072919142